POGGII

EPISTOLÆ


EDITAS COLLEGIT ET EMENDAVIT
PLERASQUE EX CODD. MSS. ERUIT
ORDINE CRONOLOGICO DISPOSUIT
NOTISQUE ILLUSTRAVIT

EQU. THOMAS DE TONELLIS JC.

VOL. III.



FLORENTIÆ
TYPIS *DELLE MURATE*
MDCCCLXI.



POGGII EPISTOLÆ.

LIBER DECIMUS

EPISTOLA I.

Poggius pl. sal. dicit Petro de Noxeto Secretario Apostolico.

Carissime frater. Non audeo scribere Domino nostro quia ad tantum tamque doctum Ecclesiae praesulem nonnisi gravia et seria, polita, exquisitaque deferenda sunt. Hic vero locus et temporis ratio aliena est ab gravitate et facultate dicendi. Ego quoque, ut senibus valitudinariis accidit, fastidiosior sum factus, adeo ut persaepe displiceam mihi ipsi, et his praecipue caloribus, quos quiete atque otio devito. Vaco aliquando rebus meis immemor earum rerum, quas vulgo omnes appetunt, non solum magno studio, sed etiam ambitione importuna; et sicut sapientes volunt nos oblectari maxime his rebus, quas ipsi

fecimus, ita ego hac in domuncula, quam mihi diversorium aedificavi, libenter moror omni vacuus, praeterquam domesticae rei, cura. Neque mihi hic vitae cursus displicet, cum audio vos veluti Scythas incertis sedibus vagari pestis suspitione. Dixit enim mihi Janninus olim ex mea familia, qui ad me visitandum venit varias Domini nostri mutationes, quae omnino sunt adversae, et podagrae, et valitudini meae. Itaque quiescam in patria, et amoena, et aere salubri, quoad Deus finem dederit transmigrationibus nostris. Quanquam si opus esset opera mea Pontifici, parerem mandatis suis: sed audio ipsum solitudinem appetere, quod est remedium tutissimum ad evitandam pestem. Praeterea audio pauca agenda imminere, quae ad nostrum officium spectare videantur. Et si qua essent, Aurispa, qui est vir doctissimus, te sublevare potest. Unum te pro nostra amicitia rogo, ut me intimis verbis commendes sanctissimo Domino nostro, rogoque, ut meminerit Poggii, si tempus accidat, quo filio meo, prout alias libere et absque exceptione aliqua pollicitus fuit, providere queat, neque velit absentiam meam impedimento esse. Scio vetus esse proverbium, remotum ab oculis, ab amore et amicitia removeri. Sed sua erga me benivolentia adeo vetus est, ut existimem radices habere altiores, quam quae parvo vento avelli queant. Sed in multitudine suarum occupationum est opus aliquando monitore, cujus officium suscipias oro, si me amas, sique meis beneficiis

cupis. Praeterea dicas Domino nostro, me absolvisse Diodori traductionem; daboque operam, ut hic ultimus liber per Dominicum, sicut et caeteri, transcribatur: postea extremam manum operi imponam, quamquam difficillimum sit, cum nullum habeam, quo cum de studiis his nostris communicare queam. Nos hic solis calores Jovis nectare mitigamus. Non enim ambrosia illa, quam poetae Jovis potum fuisse tradunt, ita suavis est, ut hic noster Bachi liquor qui et corpus recreat, et mentem levat, nulla in re, nullo in loco difficilis; cum hoc aliquando leve certamen inire, ita tamen ut superior evadas, haud videtur nostris tribulibus improbandum. Vale mi Petre, et mei memor. In bibliotheca mea Terranovae die IX Augusti 1449.

EPISTOLA II.

Poggius pl. sal. dicit Domino Cardinali Aquilejensi.

Cum essem in Balneis, Pater reverendissime, recepi litteras tuas scriptas Spoleti, quibus non respondi quia locus ille inter montes reclusus est extra anni solisque vias, quo perrari, nisi valitudinis gratia, accedunt. Redivi post secundum et trigesimum diem in patriam, et per Dei gratiam satis firmo pede; hic quoque locus raros habet viatores, ut eorum, quae in Curia, alibique fiant, sim penitus ignarus. Hoc alii, qui rebus novis delectantur, aegre ferrent; ego vero id beneficii

loco duco ibi vivere, ubi ocium meum nulli rumores, nulli nuntii, nulla nova perturbent. Ita quiesco et animo et corpore, nulli rei, praeterquam domesticae, et libris meis intentus; lego enim quotidie aliquid, aut scribo, aut oblector cum filiolis meis, quae vita ita mihi placet, ut si facultas esset, ab omni externarum rerum cura penitus vacarem, et viverem cum musis, hoc est cum his, qui et has orbis fortunas, et caduca bona despicere, et sanctiorem vitam nos appetere exortantur. Quid enim aliud nobiscum asportamus, nisi quae egimus cum virtute? Ego quidem, ut de me profitear, jam quintum et quadragesimum annum sum Curiam Romanam secutus, lucro et quaestu operam honestam impendens; multas peragravi provincias, multa vidi loca, multarum gentium mores, et naturam conspexi, multorum Pontificum benivolentiam sum assecutus; sed tamen cum cogitationes meas ad mentem revoco, cum qualia sint ea, quae praeterii, adverto, quam inania sint considero, et anxietatis plena, nil magis reperio stabile ac firmum, nihil quod magis animum recreet, nihil quod magis quietem afferat, quam litterae et ea studia, quae ab ineunte aetate secuti sumus. Haec enim parvo me contentum esse docuerunt; haec ambitionem, altiorisque gradus et amplioris dignitatis appetitum penitus sustulerunt; haec avaritiae aliorumque malorum facinorum studia dimoverunt, effeceruntque ut, quod difficillimum habetur inter mortales, modum statuerem cupiditati. Itaque libenter domi versor,

ubi vera fruor libertate, quae est ut velis, hoc est cum virtute vivere. Sequantur reliqui Pontificem, aliis, non sibi, viventes, et ea quaerant, ea appetant, quae et parum prosint vivis, et mortuis sint nocitura. Non tamen eos improbo, qui majoribus rebus intenti rempublicam tractant, et illius onera perferunt: necesse est enim, ut respublica habeat ministros, qui illius curam gerant, qui illi consulant, et pareant temporum necessitati. Sed tamen paucorum hoc munus est, qui rempublicam illius causa apprehendant. Verum de aliis philosophandi curam omittamus. Tecum enim loquendi cupiditas paulo longius me in scribendo provexit, quam meum fuerit institutum. Non scripsi antea quoniam non reperiebam cui litteras darem; nunc venit ad me ex Fabriano Janninus Balistrarii Cursor, qui cum redeat, exarare haec volui, quae tradat Solimanno, cui mandas litteras tradi. Ego enim ubi sis, quid agas penitus ignoro. Vale, et mei ut soles memor. Unum adjiciam, promissa illa barbarica, ut videor inania esse, nil novi accidit mihi, qui novi omnia illum habere potiora, quam fidem. In Terranova die X Augusti 1449.

EPISTOLA III.

Poggius Andreae (1) suo VC. pl. sal. dicit.

Quod valeas, gaudeo; et ego quoque valeo. Vellem apud me esset liber quem petis; nam tibi praesto esset et is et quicquid librorum habeo. Sed ex Plutarcho solum habeo eorum virorum gesta quae Leonardus Arretinus traduxit, et id volumen Florentiae est in Sancta Appollonia, ubi reclusa est portio quaedam librorum meorum. Itaque tibi hac in re satisfacere nequeo. Doleo te alterum fratrem amisisse, et in te omnem rei domesticae tuorum curam esse conversam. In omnibus gratias Deo agere debemus, qui solus novit quid nobis sit profuturum. Tum dies, tum prudentia, et leniet dolorem fraternae mortis, et rebus gerendis consilium dabit. Interim animis opus est, et pectore firmo. Et recte quidem facis, ut, quod solum aegritudinum animi remedium est, ad litterarum studia transferas tuas cogitationes, in quibus alitur, et oblivio sequitur dolorum praeteritorum. Blondum reverti ad Curiam non miror; et cupidus enim est quaestus, et destitutus a spe, quam amplissimam sibi proposuerat ex alterius amplitudine, quae sibi certa futura videbatur. Sed res Curiae ita tenues existunt, ut haud magno cum lucro, et summo cum incomodo sit

1) Constantinopolitano viro insigni literis et religione.

ibi futurus. Pontifex est Fabriani, quo ingredi nemini licet, nisi magna ex causa, et cum unico servitore. Aurispa ibi est solus cum solo, et abire cupit; absque lucro est enim, et nullo cum emolumento. Nam quicquid est ad Principem Apostolorum defertur. Curia hucusque fuit. Interamnae, nunc puto sit Gualdi, aud amplius septem miliaribus pessimae viae procul a Fabriano. Multi ad terrena (nam de coelestibus dubito) transierunt, et in iis scriptores, et adbreviatores plurimi, aliique haud ignobiles Curiales diversis in locis, ad quae confugerant vitandae pestis gratia. Pontifex nondum statuit, an Fabriani sit diutius futurus; capiet enim consilium ex tempore, et aliorum valitudine, hucusque scytharum more vagus fuit: ex quo ita dissipata est Curia, ut in tribus annis non redeat in pristinum statum, et decorem. Discessit a me nudiustertius Janninus Balistrarii Cursor, qui me visitavit, narravitque, et Pontificis, et Curialium statum, qui ita me terruit, ut abjecerim omnem ad Curiam redeundi cupiditatem. Quod ipsum omnes amici mei, qui sunt apud Pontificem, verbis Jannini suaserunt mihi. Nolo me objicere vitae discrimini, ne dum nullo, sed ne magno quidem proposito lucro. Stultum quippe est parvo emolumento maximum periculum adire. Nolo ulla quaestus cupiditas me ad vitae periculum impellat. Itaque decrevi postquam hic aerem habemus salubrem, tamdiu expectare, quoad et de vita non sit dubitandum, et Curia certam habeat sedem. Tu si itidem facies, recte consules,

et tibi, et tuis; quod ut facias suadeo. Vale, et me ama. Ego hic cum amicis meis, hoc est libris, qui me aliquid sapere docent, me oblecto, vacoque ad corrigendum Diodorum, quem jam traduxi (1), opus dignum omnium lectione. In Terranova die XII Augusti 1449.

EPISTOLA IV.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao Papae V.

Cum antea, Sanctissime Pater, tum vero nunc expertus sum maxime, quam suave sit, et quam caeteris praeferendum rebus ocium, quod legendo scribendoque impenditur; quamque laudabile sit tempus, quod consumitur in eo exercitio, cujus munere agitur, ne ipsum tempus nobis effluxisse tanquam dormientibus videatur. Vivo enim absque ullo rerum strepitu procul ab iis molestiis, quae mentem conturbant, et curas ingerunt inanes, quibus implicitus animus, cogitationem deflectere a verae virtutis indagatione cogatur. Nulli rumores vulgi, qui utplurimum sunt insaniae mixti, nulla praesentium temporum gesta, quae potius obliteranda sunt, quam tradenda memoriae, nulla rerum consilia, nulli bellorum apparatus, nullae acies ad me deferuntur: quid reges agant, quid

(1) Suasione atque impulsu Nicolai quinti Summi Pontificis, optimi litterarum cultoris, doctorumque virorum protectoris, Poggius de Graeco in Latinum Sermonem vertit Diodori Siculi historias. Interpetratio haec edita primum fuit Bononiae anno 1472. — Bandini Catalogus Bibliothecae Laurentianae tom. 2. pag. 819.

principes, quid populi concertent inscius sum; ipsius reipublicae, in qua sum educatus, curas, praeterquam praestandi census, et haec satis molestiae afferunt, ignoro: denique Romanae Curiae, in qua omnem ferme aetatem consumpsi, cura jam fere mihi delapsa est: vacuus molestia, liber a supervaçaneis curis animus versatur in lectione eorum qui praesentium rerum studium abjicere, et ad futura tempora mentem convertere exortantur, eaque meditari, ea discere, ea tractare jubent, ex quibus aliqua elucescere queat virtutis laus. Quod vero virtutis opus esse eximium solet, medentur animi morbis, monent modum cupiditatibus imponendum, arçendas voluptates, futurae vitae incumbendum, consulendum animae saluti, unde venit, quo sit reditura praemeditandum. Iis autem praeceptis mentem instituunt, quibus si pareremus, continua felicitate vita hominum frueretur. Et certe haec vitae ratio, quae litterarum studiis, quae doctrinae, quae sapientum praeceptis, quae virtuti impenditur, est longe anteferenda reliquis, sive regna fuerint, sive principatus, sive opes, sive divitiae, sive quaevis alia bona, quibus fortuna dominatur. Sunt enim fragilia, imbecilla, momentanea, laborum, solicitudinis, insidiarum plena, quae verissime infelicitatis instrumenta nobilia dici possunt. Haec vero solida, firma, stabilia quae libertatem animo et corpori largiuntur, quae solicitudines insanas demunt, patentem aditum virtutibus praebent, omni mentem abstergunt molestia, vitam omni dignitate dignam praestant, et praeditam laude sempiterna. Hujus

sententiae quam vera sit, tu ipse copiosus es testis, quem sola virtus nullis fortunae adminiculis adumbrata, sola praestantissimarum doctrinarum scientia, sola litterarum studia, ex quibus virtutis fluxerunt incitamenta, ad eam, quam merito tenes, dignitatem pontificiam extulerunt; ut cum omnia Deo nostro, cujus providentia te fidei nostrae antistitem videmus, plura iis, qui tua virtute ac probitate moti hunc tibi gradum tribuerunt, plurima tamen, meo judicio, doctrinae et litterarum studiis debeamus, quae et te insignem reddiderunt virtutibus omnibus, et mentem injecerunt, ut quod aliquando praecibus ambitionique concessum vidimus, nunc probitati, virtuti, sapientiae tribueretur. Itaque nunquam satis dignas gratias bonarum artium studiis agere possumus, a quibus hoc tantum donum nostra haec saecula susceperunt. Ut enim omittam caetera, pacem, tranquillitatem, a bellorum fluctibus quietem, quae quidem praeclara sunt, a te nobis impensa, tua profecto virtute prudentiaque effectum conspicimus, ut vulnus nonnullorum stultitia, ne dicam nequitia, Dei Ecclesiae infixum, quo pene religio nostra conciderat, sanaretur. Quae omnia si vere aestimare pensitareque voluerimus, soli scientiae, doctrinae, litteris accepta referre debemus. Quamobrem, Pater Beatissime, si paulum temporis libris impertior, si quando mentem a sensibus legendo revoco, si a defunctis disco vivere, et ea ago, ac tracto aliquando, quae tum mihi tum caeteris aliquid ad bene vivendum praesidii valeant afferre, rectius

mihi agere videor, quam iis negotiis impediri, in quibus magis fortunae bona, quam dotes animi versarentur. Verumtamen hactenus haec a nobis tractari decet, quatenus etiam rei domesticae consulatur. Durum quippe est egere, cum apud Inferos egestatem turpem Virgilius describat, et contra officium sit abduci ab rebus necessariis, ut litteris vacemus. Quanquam bono animo me consolor, nullam egestatem, nullam inopiam, nullam fortunam te vivente extimescens. Sed eo majori cura studiis nostris incumbam, quo ampliorem mihi spem, uberiorem voluntatem mihi tua liberalitas praebuit. Sed nolo amplius obtundere insulsis verbis aures tuas, quas scio esse occupatissimas, et plurimorum importunitate vexatas. Vereor praeterea, ne mihi possim objicere sus minervam: tua tamen fretus humanitate, postquam tecum coram loqui non datur, volui his litteris tecum loqui, ut aliqua fruaris portiuncula ocii non penitus ignavi. Commendo me tuae sanctitati, et ut filii memineris oro, si tempus detur. Timeo Aristotelis sententiam, amorem usu et consuetudine conservari. In Terranova die XXVI Augusti (1).

(1) Anni 1449.

EPISTOLA V.

Poggius pl. sal. dicit Petro de Noxeto Secretario Apostolico.

Laetor admodum, mi Petre suavissime, te, fratrem, tuosque omnes recte valere; et Petrum nostrum Lunensem convaluisse summae mihi est voluptatis: dilexi enim semper eum, quoniam vir bonus, diligens, laboriosus, industrius, plenus fide semper visus est mihi, et me semper dilexit ut fratrem. Itaque ejus bona valitudo gratissima est mihi, qui ipsum diligo ut amicum. Id prae caeteris summa me afficit consolatione Dominum nostrum recte valere, in cujus incolumitate omnium nostrum salus et vita continetur. Dicam, sed verum dico, quod forsan multi non crederent, hoc meum honestum ocium, haec scribendi legendique facultas, hoc natale solum ita me oblectant, ut parum mihi Curiae cura supersit; tamen ita ardeo cupiditate Dominum nostrum videndi, secumque colloquendi, ut nil potius expetam, nil cupiam magis. Verum quia libenter utor quiete corporis, equitandique labor est mihi molestus, patiar aequo animo, feramque hoc meum desiderium quoad Urbem revisatis. Scio absolutis his, quae ad perficienda promissa diversorum hominum in hac unione spectabant, parva tibi paucaque agenda imminere. Itaque tu solus eorum pondus ferre potes quae rempublicam spectant, in privatis adjutorem ha-

betis Lunensem: nam Aurispae nostro, ut videor, non vultis labores afferre: et recte agit Dominus noster non implicare eum negotiis, quae possent mentem suam avertere a studiorum, quibus imminet, cura. Sed intellexi Blondum cito reversurum, opem forsan majorem conceperat in aliorum fortuna, quam casus attulerit: sed aerem mutavit et pestem fugit absque discrimine; nunc redibit tibi auxilium laturus. Ego hic cum libris meis, et filiolis me oblectabor quoad in patriam certam Curia revertatur; si vero istic firma sedes erit, isto proficiscar: interim *mi roderò el basto.* Sed ago gratias Deo, qui a me majorum cupiditatem amovit. Vivo enim vacuus tum aliarum rerum, tum lucri cura. Commenda me Domino nostro quam intime. Saluta Soldanum, et cubicularios domesticos omnes: Ariminensi me commenda, cum est in mensa. Et si essetis inter mille marchas, supero vos suavitate bibendi. Ex Terranova die XXVI Augusti (1).

EPISTOLA VI.

Poggius pl. sal. dicit Insigni atque optimo viro Cosmo de Medicis.

Commendavi tibi alias Dominicum cognatum meum; nunc res cogit, et periculum in quo versatur, ut iterum ipsum commendem prudentiae

(1) Anni 1449.

tuae. Igitur te majorem in modum rogo, ut ope et auxilio tuo Dominicum subleves, ne praeter aequum judicio opprimatur. Evadat, si fieri potest, capitis sententiam, quae res mihi videtur justissima, si vera sunt, quae feruntur. Audivi enim quasi invitum id facinus, et ad se tuendum, ac vim repellendam Dominicum commisisse. Id si ita se habet, parvam meretur poenam. Sed scis praetores quandoque leges detorquere, nisi defensor assistat. Si me igitur, ut soles, amas, suscipe, quoad honestas patitur, Dominici patrocinium, et etiam adversarios mitiga quantum potes, quo facilius eum possis tueri. Hoc te ita rogo, ut nil magis possim rogare. Vale, et mei memor. Ego litteris vaco, et Diodori emendationi. Hic aer est optimus, et jam triginta civium familiae huc venere. In Terranova die III Septembris 1449.

EPISTOLA VII.

Poggius pl. sal. dicit Guarino suo VC.

Dum in solo patrio essem, quo diverteram pestis gratia, redditae sunt mihi abs te binae litterae, et epistolae Plinii, quas a te petiveram Pontificis nomine: Epistolis, licet fuissent gratissimae, ut quae plurimum in meis laudibus versabantur, antea non respondi, quoniam adempta erat facultas illas ad te mittendi, cum neque Florentiam destinari possent civitatem mercatoribus vacuam, neque ego in his essem locis, ad

quae tabellarii itineris gratia proficiscerentur. Nunc ad Curiam reversus tradidi epistolas Pontifici, quas libenter vidit, et haec ad te exaravi, ut videas tarditatem rescribendi non ab ignavia, aut oblivione profectam, sed a temporum conditione. Ego, mi Guarine, delector tuis laudibus, quae licet majores sint meritis meis, tamen cum ab amicissimo mihi proficiscantur, et eo, qui est nostrae aetatis doctissimus, et multum mihi gratiae apud caeteros allaturas existimo, et me incitant ad agendum aliquid, quo verba tua mea industria comprobentur. Quamquam difficile est hominem egenum, et quem plurimum operae in rei domesticae procuratione impendere necesse est, nisi omnino velim rejicere patrisfamiliae nomen, et non patrem quinque liberorum, sed vitricum profiteri, hoc tempore, his moribus adeo litteris et scribendi studio vacare, ut laudem consequatur. Vir doctissimus, mihique amicissimus Franciscus Marescalcus noster, qui pro sua humanitate me saepius videbat, conspexit occupationes meas, et quas intercapedines scribendi Curiae negotia et confluentium importunitates afferrent. Conatus sum tamen id quod superest temporis in horas resarcire, et ex multis frustis aliquid componere, quod non penitus informe esse videatur. Itaque Diodorum jam absolvi magno quidem cum labore, eos scilicet libros, quos fabulosos appellavit; et ut existimo, opus tibi placebit, cum non sit ita traductum, ut totus Graecus appareat. Hyeronimum tuum diligo perinde ac si meus natus esset. Si

qua in re ei prodesse quivero, ero sibi parentis loco. Verum ubi sit, aut quid agat, cum adhuc recens in Curiam venerim, ignoro. Librum tuum Pontifici tradens, dixi quae in rem pertinebant, et sane Pontifex affectus est doctrina tua, ac virtute. Vale mi Guarine, et me, ut facis, ama. Romae die VII Decembris 1449.

EPISTOLA VIII.

Poggius pl. sal. dicit Carolo Borniolo.

Recepi abs te litteras mihi quidem gratissimas, quibus mecum agis, ut transcribi faciam residuum epistolarum mearum, quas dicis tuo volumini deesse. Ego, mi Carole, tum in omni re, tum in hac praesertim, quae meae laudi, si quam ex scriptis meis colligo, est conjuncta, libentissime satisfacerem desiderio tuo, si librarios reperirem; sed eorum tanta est apud nos inopia, ut mea quaedam, quae noviter edidi, domi contineam, cum desint qui transcribant. Verum si quis se offeret, utar opera sua, ut satisfiat tibi. Non autem incipietur scriptio ab ea, quae sequitur epistolam Angelotti, sed a principio libri, quem aliter partitus sum quam antea erat. Ego sive impudentia, sive quorumdam in me amore, qui eas epistolas pluris faciunt quam mereantur, confisus, illas in volumen coegi, quod decem libros continet; detraxi autem omnia quae, praeter epistolas, in priori volumine inserta erant. Hoc vero ex solis epistolis constat.

Coepi quoque secundum epistolarum volumen, cujus libri tres jam sunt confecti, et nescio an id consumabitur; sum etenim factus tardior in scribendo, tum culpa aetatis, quae scribendi laborem refugit, tum vero negotiis, quae plurimam scribendi operam requirunt, ut jam id exercitium sit mihi admodum odiosum; manus praeterea non satis firma est. Itaque etiam tecum brevior ero quam fuerit moris mei. Si vero quid est praeterea in mea suppellectili, quod velis, id petito a me tanquam ab homine tibi amicissimo. Ego tuae voluntati, quae honestissima est, obsequar, efficiamque, ne me frustra aliquid postulasse videaris. Diligo enim ingenium tuum, et humanitatem suavissimis moribus conjunctam, nam dicendi copia ita excellis, ut cujuslibet eloquentissimi judicio non indoctis in ea facultate viris sis computandus. Vale et me ut facis ama. Romae die III Februarii (1) manu veloci.

EPISTOLA IX.

Poggius pl. sal. dicit Georgio Trapezuntio VC.

Scripsi olim Christophoro Cauco Veneto, cum mihi libellum quemdam destinasset, in quo epistola, quam Guarini existimas, adversus te scripta, et tua responsio continebatur, me procul dubio affirmare illam non esse Guarini, idque multis ex

(1) Anni 1450

causis mihi persuadens, existimansque solummodo te conjectura moveri, addidi in epistolae meae calce, scribere tam multis verbis, tam contumeliose tanquam in reum manifesti criminis, de quo nihil afferas praeter opinionem quamdam; et quidem ab aliorum opinione et sententia disjunctam, non recte consulti hominis esse videri. Hoc tibi ex animo, proque nostra amicitia affirmo, mi Trapezunti, in nullam tuam contumeliam, nullam detractionem, nullum in dedecus ea verba me fuisse compulsum; putavi non recte a te factum, qui rem incertam pro certo crimine insectareris. Et certe nimium inconsiderati, ne dicam stulti, hominis fuisset, nullam ob causam, nullum ob tuum meritum velle in se provocare indignationem atque odium doctissimi atque eloquentissimi viri, et ejus praesertim, quem semper unice dilexerim, meque ab eo, et ornatum suis laudibus, et maxime carum atque acceptum cognovissem. Quid vero inconsultius esse potuisset, quam ut nulla re provocatus, nulla in re a te laesus, offendere ejus animum, qui posset par pari referre, et aequiore causa non refellere mea dicta solum, sed accusare hanc amicitiae nostrae offensionem? Sed ego nunquam de te secus aut sensi, aut locutus sum, quam tua virtus et singularis doctrina requirat. Extitit nescio quis postmodum curiosus nimium, ne dicam stultus, qui legens meam epistolam, admodum perverso, et a mente mea remoto sensu, ea verba in tuam contumeliam interpretatus est; scribens in ejus margine tuam inconstantiam et levitatem designari.

Voluit maledicus ille, qui et te forsan odiit, et me minime amat, sua iniqua verbositate, et tuum in me incitare animum, et mihi molestiam atque invidiam comparare. Quid enim est, in quo levitatis te iis verbis accusem? aut ex eis vel minima constantiae suspicio elici queat? Ego, ut dixi, existimans te non manifesto crimine, ut asseris, sed conjectura motum illam epistolam confutasse, dixi non videri mihi id recte consulti hominis fuisse, non quia recto fueris consilio usus, sed quia dum scriberem ita mihi videbatur, lapsus scribendo in ea verba, quae possent calumniatoris temeritatem subire. Non enim ad quadram philosophorum verba illa redegi, sed more hominum scripsi, qui libere, nec semper accurate, loquuntur. Neque ego tunc existimavi aliquando fore aliquem tam imprudentem ut diceret, me sensisse quae procul a mea sententia extiterunt. Quid enim illi beluae in mentem venit bono animo a me scripta trahere in pejorem partem, ut inter nos sereret causam simultatum? Sed frustra laborem inanem suscepit. Firmiorem reddidit benivolentiam nostram cum, sive error fuerit, me profitear errasse, sive ille me voluisse in aliquo laedere famam tuam opinatus sit, non me sentiat, sed se non recte sensisse, et mihi summe quae scripserit displicere. Ego enim nedum tuo honori velim in aliquo detractum, sed accumulatiorem reddi mea opera, si fieri posset, cupio, atque etiam ampliorem. Debeo enim tibi plurimum, qui mihi adjutor praecipuus fueris in traductionibus meis. Verum haec satis ad redar-

guendam illius inscitiam: quanquam etiam illi malo interpreti nonnihil debeo, cum me admonuerit ejus sententiae, quae nulla malivolentia a me posita explanatione quadam egere videbatur, ne quis eam traduceret amplius in contumeliam tuam. Habes epistolam testem meae in te voluntatis, quae si tibi fecerit satis gaudeo, sin vero minus, plura scribam quoad tibi a me abunde satisfactum fuisse arbitreris. Romae XII Kalendas Martias (1).

EPISTOLA X.

Poggius pl. sal. dicit Illustrissimo atque optimo Principi Alfonso Regi Aragonum.

Licet antea nonnihil admiratus fuerim, princeps optime, tuam beneficentiam paulo remissiorem erga me videri quam erga caeteros, in quos fuisti liberalissimus, tamen nunc laetor accidisse id quod hactenus requirebam, cum hanc moram, quae tuo dono intercessit, uberiorem mihi fructum videam attulisse. Ita beneficii loco haec temporis intercapedo ducenda est, quae secum foenus comportavit multo opulentius quam putarim. Equidem, ut ingenue verum fatear, non tam ferebam moleste meos labores nullum praemium consequi industriae et devotionis erga te meae, quam commovebar animo nonnullorum malivolorum atque

(1) Anno 1450.

invidorum verbis, disseminantium munus nostrum a te neglectum, parvique aestimatum fuisse. Quod mihi sane pergrave erat, non quod ullam ingenii jacturam subirem, quippe cum scirem opus meum a viris doctissimis comprobari, sed quia videbantur illi ex hac tuae beneficientiae dilatione nonnihil dicere apud homines tibi natura insitae liberalitatis ignaros, et haudquaquam considerantes maximorum principum mores, quos diversarum rerum incumbentium magnitudo persaepe cogit etiam illa oblivisci aliquando quae pertinent ad sui corporis curam, ut, nisi quandoque monitores essent, multa necesse esset ab illis praetermitti, quae ad suam utilitatem cultumque vitae pertinere videantur. Verum illi fuco quodam et simulatione virtutis adumbrati, cum nondum tibi eorum facultas et mores noti forent, obstentatione quadam doctrinae, quam praeseferebant, et verborum jactantia, tanquam personati solent, te impulerunt ut alicujus rei dignos putares. Sed postmodum detracta parvo tempore simulationis peste, cum diutius occultari eorum praestigia non possent, a te rejecti sunt, ut omnis virtutis inanes. Ut enim ea quae brevi tempore fructum ferunt, citius arescunt, quam quae maturius producunt fetus; sic apud te, ad parvum tempus perdurans, tanquam fumus illorum evanuit ostentatio. At in me contra tuus animus evasit, nam temporis diuturnitate tanquam arbor pomifera radicem altius egit, ut postea uberiores multo efferret fructus, quam si e vestigio floruisset. Accepto itaque dono,

quod tui mihi oratores viri praestantissimi attulerunt, plane perspexi non oblivione mei, aut operis contemptu te fuisse tardiusculum in beneficio collocando, sed agendarum rerum multitudine ac pondere distractum; cum mentem multis curis implicitam ad majora divertisses, tandem dato tempore te tibi similem extitisse, hoc est illam tibi innatam liberalitatem ad tempus sopitam majorem solere exurgere atque ampliorem. Addiderunt insuper tuo nomine oratores propensam erga me voluntatem tuam, si quid esset, in quo me extollere, et ornare posses: hortatique sunt, ut bono animo peterem, si quid praecipuum a te cuperem impetrare, quae verba uberiorem tuam beneficentiam praestiterunt. Sunt omnes virtutes in principibus praeclarae, maximeque in iis relucent, qui rerum potiuntur: sed nulla excellentior beneficentia, nulla hominibus gratior, nulla quae majorem benivolentiam regibus conciliet. Quod verissimum esse in te ipso potes intelligere, quem omnes propter tuam in singulos munificentiam amant, omnes colunt, et veluti communem omnium parentem salvum cupiunt, summaque veneratione tanquam coelitus demissum principem venerantur. Sed parcius scribam ne tibi videar adulari, quanquam de tuis laudibus, et scripsi hactenus, et si vita suppetet, efficiam, ut tua haec benignitas in homine minime ingrato collocata esse videatur. Agerem tibi nunc gratias litteris, si ulla esset tam copiosa dicendi facultas, quae id verbis assequi posset. Verum a Deo id speres velim, qui non

agere, sed reddere benemeritis gratias consuevit. Ego quod ad me attinet praestabo, ut profitear me, quoad vita supererit, tanti beneficii memorem, tuarum laudum et virtutum tanquam buccinatorem esse futurum. Vale felix nostri saeculi decus (1).

EPISTOLA XI.

Poggius pl. sal. dicit Carolo Arretino VC.

Septuagesimum aetatis annum, mi suavissime Carole, ingressus, Kalendis Maiis filium suscepi caeteris quos mihi largitus est Deus pulchriorem, ac majorem (2); ut plane videatur me hunc non inconsulto, sed praeparata jam materia composuisse. Pictor ille, ut nosti, cum filios haberet deformes, se noctu fingere inquit, luce pingere. Ego multo prudentior, ignarus picturae, ita nocte fingo luminis beneficio, ut etiam pingi posset; quo fit, ut una, et fingendi facultas adsit, neque desit occasio pingendi. Confert praeterea aetas, quae usu docuit modum liberos effingendi. Scis enim turpe esse veterano non in diem prudentius tractare artem suam, et tirones artificii peritia superare; quare illud mihi jam videor usurpare posse. Ce-

(1) Anno eodem 1450.

(2) Fuit hic quintus filiorum Poggii, nomine Philippus. Inierat Ecclesiasticam vitam; sed annum agens vigesimum aetatis suae, cum jam Canonicus esset Metropolitanae Florentinae, mutato consilio, saecularem vitam sibi proposuit; ex patricia familia uxorem duxit quae ei tres peperit filios.

dant arma togae, cum tironis vires veterani ratione superentur. Itaque te ad imitationem provoco, ne solus sim, qui tuear senectutis auctoritatem. Sed haec joci gratia. Dei summa pietas mihi adfuit, qui et venustum infantem dedit, et uxoris fecit salvam incolumitatem. Haec ad te scripsi tanquam ad alterum me, ut si in ortu filii laetandum est mecum laeteris; sin vero a more Stoico est philosophandum, qui nihil in bonis nisi virtutem ducendum putant, ut paulum ab hac philosophia declinemus, et more civili laetemur eo tempore, quo licet, de prole suscepta. Id enim gaudii, quo fruemur, ponetur in lucro. Id superest, ut Deum orem, ut hunc parentibus superstitem velit esse, et ita virtutis iter ostendat, ut saltem non sit inferior patre. Quamvis enim ut me exuperet opto, tamen satis erit filii, si non degeneret a virtute paterna; hoc opus Dei futurum est. Nam incertus sum, an tamdiu sim permansurus, ut meo modo bonis institutis et moribus educari possit. Sed adest Dei gratia omnibus in se sperantibus. Hoc communica cum Cosmo nostro, quem scio non secus ac me ipsum meis commodis laetari. Vale, et me ama. Die IV mensis Maii 1450. Romae.

EPISTOLA XII.

Poggius pl. sal. dicit Reverendo Patri Dalmatio Archiepiscopo Cesaraugustano.

Non scripsi ad te jamdudum, quoniam, et nihil accidit quod magnopere scribendum videretur, et ego propter aetatem jam factus sum tardior in scribendo, et mos quoque magnorum virorum esse solet, ut nihil nisi suorum similium quicquam pendere videantur. Nunc autem tempus evenit, quod me ad scribendum incitarit. Est inter nos jam olim multis annis a bonis initiis profecta singularis contracta benivolentia, quam cupio aliquo onestiori vinculo fieri sanctiorem. Ut ad benivolentiam mutuam addatur aliqua religionis species, quae magis nos devinciat optimo sacramento fidei confirmata. Itaque cum kalendis Maii proxime praeteritis infantem puerum caeteris venustiorem Salvatoris nostri gratia mihi mutuo servandum dedisset, cum de Baptismo dando agitarem, venit mihi in mentem tuae charitatis, ut tua fidei jussione baptizaretur, sed quoniam longo intervallo aberas, per Cardinalem Sanctae Mariae Novae Episcopum Zaniorensem et alios filius id sacramentum suscepit. Verum cum in confirmatione Chrismatis fidejussores quoque haberi deceant, tibi id reservavi, si tamen placuerit id vinculum libenter subire. Id si erit, scribas oro Petro Aymari nostro, qui nomine tuo id munus

exequatur, et ego confirmationem differam, quoad rescripseris, quis sit in hac re animus tuus. Hoc tibi affirmo, me ea solum causa moveri, ut amicitia nostra majori quodam et augustiori nomine conservetur. Ego tuus sum, quicquid sit quod a me velis. Poggio tuo vel intercessore, vel amico, vel si volueris affini, utere ut velis; nam satisfaciam profecto voluntati tuae. Vale et me ama, ac rescribe. Romae die IV Junii 1450.

EPISTOLA XIII.

Poggius pl. sal. dicit spectabilibus, et egregiis viris Proconsuli, et Consulibus Artis Judicum et Notariorum Florentiae.

Vellem, praestantissimi patres, ut verbis mecum potius, quam litteris egissetis rem, de qua scribitis super gubernatione hospitalis Sancti Pauli. Nam colloquendo, et consultando aliqua ratio reperta fuisset, qua posset ad effectum ejus quod cupitis perveniri: cum enim res difficilis sit, non potest explicari litteris prout oportet, neque inquiri qua via ad id esset proficiscendum. Nam hospitale illud est religiosorum virorum, qui subditi Minorum Ordini existunt. Deinde visitator hospitalis dicti Ordinis, et a conventu destinatur, seu eorum praelatis trienniis, quibus auferre jura sua, et res religiosorum saecularibus subdere, non satis honesta postulatio videtur, neque id in illius Ordinis injuriam Papa concederet; et si id faceret,

revocaret postmodum ad aliorum querelam quod minus juste factum videretur. Nam hic est Cardinalis Ordinis protector, qui statim instaret pro revocatione eorum, quae contra Ordinem facta essent, et id facile impetraret. Alia hospitalia, quae in Artium gubernatione consistunt, nulli subsunt Religioni, sed a laicis fundata, a laicis reguntur, quibus postmodum ipsimet fundatores constructa a se, seu de suis bonis hospitalia subdiderunt: hujus vero fundatores non item. Quaerere quod illud hospitale bene regatur, sanctum est et honestum; sed modus est adhibendus, quo sine cujusquam juris expressa offensa fiat utilitas hospitalis. Dominus Archiepiscopus etiam queritur illud hospitale male regi, petitque a Pontifice, ut rectorem idoneum in eo instituere possit. Cum sentiat vos procurare, ut ibi nescio quis ponatur, quem non probat, cum videatur ei minime utilis ad bona Monasterii dispensanda. Et credo, quod Pontifex hoc ei pro hac vice concedet. Itaque mihi non videtur ad praesens id esse tentandum, cui sciam Pontificem minime assensurum. Petitis praeterea, ut ea facultas auctoritasque vobis in illud hospitale concedatur, quae caeteris Artibus in aliis regendis hospitalibus est concessa. Hoc ita confuse nunquam concedet Pontifex. Nam scire ad unguem volet, quid alii in eis habeant licentiae, quid facultatis, quid potestatis, quatenus illis praesint. Locutus sum cum Domino Donato Oratore nostrae Reipublicae, cui, sicut et mihi, non videtur haec res tentanda prout in supplicatione continetur. Ideo

satius esset differre hanc rem, quoad istuc veniam, et aliquid honestum iter simul cogitabimus, quod ad rem optatam perducat. Nam eo modo, quo petitis, cum vergat ad injuriam aliorum, non confido me quod vultis impetraturum. Scripsi quod sentio: tamen si videbitur, obsequar voluntati vestrae, cui semper parebo pro posse. Ego me vobis commendo. Valete Romae die XXVI Octobris 1450.

EPISTOLA XIV.

Poggius pl. sal. dicit Sthephano Burbasio.

Reddidit mihi tuus pater a te litteras, quae mihi fuerunt gratissimae, tum propter earum eloquentiam, et scribendi suavitatem, tum quia te incolumen in tanto temporum periculo perspexi. Laetor te adeo brevi in scribendo facundum evasisse, si tamen tuus ille stilus est, ut eloquentioribus comparari possis; et plane suspicor te majorem operam dicendi arti, quam Sacrorum Canonum studio impendisse. Quod mihi satis placet te ad doctrinam Legum eloquendi copiam addere, quae res tibi praestabit maximum ornamentum. Leges civiles ipsae per se reddunt hominem eloquentem cum ab doctissimis viris, singularique dicendi facultate praeditis, sint ut plurimum conscriptae. Canones vero, pedestri quodam scribendi genere editi, nulla illustrantur eloquentia. Itaque te hortor ut ea studia non postponas, quibus

ornatur ea facultas, cui operam impendis, et quam tuorum studiorum finem constituisti. Simul ambabus facultatibus indulge: sed primum locum vindicet apud te, id cujus gratia te ad studia contulisti: deinde eloquentiae tantum temporis tribuas, quantum tibi ab alia facultate supersit. Id te pro mea in te charitate, quem loco filii habeo, te admonuisse velim, ut memineris virtutem esse illam, quam ducem vivendi tibi proponere debes, inanemque esse existimes doctrinam et scientiam vacuam virtutis; eam timore Dei, bonis moribus, vitae continentia, et probitate consequeris: tibique hoc plus proderit, tum vivo, tum mortuo, quam ulla scientia, aut doctrina, aut rerum caeterarum opes et copia, quae vulgo ab omnibus expetuntur. Sed haec omnia, nisi virtute condiantur, damno sunt possessori, potius quam emolumento. Vale et illam doctrinam esse optimam puta, quae sit cum virtute conjuncta. Romae die III Novembris 1450.

EPISTOLA XV.

Poggius Bartholomaeo Archiepiscopo Ravennati.

Praestantissime pater, et domine mi carissime. Ago tibi gratias quantas possum, non tantum pro dono, quod ad me tua sponte nullis meis meritis misisti, quantum pro memoria, quam de me homine tibi deditissimo conservas; qua in re plane intelligo me a te amari, quoniam absens, nullo

meo beneficio, sed sola charitate ductus, tuam solitam erga me ostendis benivolentiam atque humanitatem. Gratissimum quippe mihi est amari ab egregiis virtute viris, et qui semper in laude vixerunt. Nam eorum amicitia et sanctior est, utpote bonis artibus parta, et diuturnior sit necesse est, cum altius radices fixit, quam ut quolibet vento convelli possint. Ego tibi in amicitia pari benivolentia respondebo, quantum spectat ad animi affectionem; reliquis in rebus facile patiar me superari abs te quem tua virtus in eo gradu collocavit, ut liberalis esse possis, et meminisse inferiorum. Munus tuum advenit in tempore, ut aliquid frigiditati aeris praesidii opponere queam. Sed vide ne dederis mihi ansam quamdam impudentiae ad petendum, quanquam tuae litterae te id facturum pollicentur, id est, ut ficus mittas, si non quas cupis, at quas potes; quicquid veniet a te acceptissimum mihi erit, et optimum existimabo; sed cave ne meas conferas in societatem majorum, quoniam mihi deterior pars haerebit. Itaque quod meum esse voles, selegito a consortio eorum, qui et partiri possunt, et quod placitum est sumere. Haec joci loco accipies. Vale, et me, ut soles ama. Ego tuus sum; si quid possum, utere opera mea ut hominis tui amantissimi: quamvis enim parum quid possim, tamen acclamatione saltem et plausu currentem, ut ajunt, juvabo. Romae die XX Januarii (1).

(1) Anni 1451

EPISTOLA XVI.

Poggius pl. sal. dicit Augustino Villae.

Cum aliis in rebus, tum maxime in libris concedendis, mi Augustine, soleo esse liberalis. Itaque mitterem ad te libenter epitaphia illa quae petis, si mecum essent; sed illa reliqui una cum reliquis meis libris in patria natalis soli; quare nequeo ad praesens satisfacere, non tuae solum, sed etiam meae in hac re voluntati. Sed res parvula est. Unum enim tantum quaternionem, haud magnum, abjectum neglectumque repperi apud Germanos, quem detuli mecum, cum ibi quaedam essent, quibus careremus. Veruntamen quicquid esset, satisfacerem tuo desiderio, nisi abesset. Philippum Tifernatem virum apprime doctum et eloquentem, quo cum et mihi summa amicitia est propter ejus humanitatem et suavissimos mores, non aliter commendo tibi, quam si unum ex mihi amicissimis commendarem. Te rogo, ut quibuscumque rebus potes, poteris autem si voles, ipsum subleves tuo patrocinio, ut aliquo ampliori commodo tua opera afficiatur. Utilis est sua doctrina ad erudiendos eloquentiae praeceptis non solum adolescentes, sed etiam aetate provectos. Itaque fac, ut eum domino commendes ita intime, ut meae apud te litterae aliquid sibi profuisse videantur. Vale, et tuos verbis commatris et meis saluta. Romae (1).

(1) Mense et anno eodem

EPISTOLA XVII.

Poggius pl. sal. dicit Philippo Ufernati.

Recepi duas eodem tempore a te epistolas, mi Philippe, summa cum humanitate et benivolentia erga me scriptas: mitto, quod ea dicendi facilitate, eo ornatu tum sententiarum tum verborum constant, ut sint eloquentissimis comparandae. Mihi quidem ita placuit scribendi suavitas et copia, ut nil elegantius scribi posse videatur. Itaque scito multis ex causis tuas litteras fuisse mihi carissimas, gratiasque hac una in re habere balneis, cum ad reliqua nil profuerint, quod nos ea consuetudine devinxerunt, quae facile in amicitiam possit evadere. Est enim, ut nosti, morum studiorumque similitudo bonorum maximum vinculum amicitiae comparandae. Verum haec tibi notiora quam mihi esse certe scio. Te nomine meo visitasse, salutasseque praestantissimos viros Augustinum Villam, Guarinum Veronensem, Franciscum Marescalcum, gratissimum est mihi, officiumque in ea re tuum valde commendo. Est enim Guarinus jam solus ex prisco illo nostro antiquo Litterarum consortio, quem diligam propter suas virtutes, et summam ejus in me charitatem. Itaque in nomine ejus et memoria requiesco mecum ipse cogitans, quam pauci ex illa antiqua schola supersint, quae tot egregios viros produxit. De aliquo ex meis liberis ad eum in

gymnasium Litterarum mittendo per Hieronymum filium ejus mecum egit; ago ei gratias pro hac tanta sua humanitate. Sed pueri apud me domi, et a me ipso majori ex parte erudiuntur, quoad Latine sciant, postmodum alteri exercitio tradentur, ac excepto quem Deo dedicavi, quem litterarum studia prosequi volo. Nam de libris investigandis egi quod potui: sed vereor, ne opera et impensa perierit. Ille enim Enoch adeo solers et diligens fuit, ut ne verbum quidem ad me adhuc scripserit, vivus ne sit, an apud inferos situs. Itaque parum spero illum aliquid boni facturum, nisi ei magis fortuna faverit, quam prudentia et industria perquirendi. Franciscum Marescalcum scio esse amantissimum mei, idque jamdudum cognovi, cum coram colloqueremur. Vir bonus est, et admodum doctus: sed utplurimum fortuna viris est invida fortibus. Ut nostro Hieronymo praestantissimo praeclarissimoque viro satisfacias, mittam tibi per primum, qui commode ferre possit, Dialogum, de quo tecum fueram locutus, sed vereor ne is respondeat expectationi suae: nostra suppellectilis tenuis est, neque res a me copiose pro earum gravitate disputatae. Itaque opus est eis favore suo, et acclamatione quadam, ut in vulgus approbentur. Rogo te meis verbis illum virum, quem summe diligo, salutes, et me suis virtutibus esse deditum confirmes. Respondi paucis primae epistolae; venio ad secundam. Confabulationibus quotidie aliquid additur; scribas ad me velim, quae sit earum ultima, quae apud

vos habentur: ego curabo, ut quae vestris desunt scribantur, et ad vos mittantur. Epitaphia quae petis, sunt in patria cum reliquis meis libris: sed ea parum quid sunt. Unicus parvus est quinternio, quem inter pulveres repertum in manicas conjeci, cum libros quaererem apud Alamanos. Multa quae habebam ex variis locis in volumen conjecta, concedendo aliis perdidi. Vale, et me, ut coepisti, ames velim. Romae XXII Januarii (1).

EPISTOLA XVIII.

Poggius pl. sal. dicit insigni viro Antonio Panormytae.

Peto de te saepius ab iis, qui a vobis veniunt, quos quidem cognoscam, de te diligentissime, et ajunt omnes, quod certe mihi summae est voluptati, te recte valere, quodque maximi existimo esse in principis gratia. Ei me, cum tempus atque otium se offert, commendes velim. Venit ad nos quidam Franciscus Paduanus jurisconsultus, quo cum mihi est vetus et jucunda consuetudo; eum tibi majorem in modum commendo, ut si qua re poteris, ei assistas tuo patrocinio. Gratissimum mihi erit, si efficies, ut hoc intelligat me abs te amari. Persuasit sibi litteras meas propter nostram amicitiam sibi plurimum profuturas; quod ne

(1) Anni 1431

frustra existimarit, tuum est pro mutua inter nos charitate operam dare (1).

EPISTOLA XIX.

Poggius pl. sal. dicit Comiti Celani.

Accepi a te duas epistolas, vir insignis, quae me admodum delectarunt, cum et testes sint amoris in me tui, et plurimum in mei operis laude versentur. Est mihi gratissimum res meas placere tibi, sed vereor ne amor in me tuus eas pluris existimet, quam earum vires ferre videantur. Tuum tamen judicium de illo opere est mihi admodum gratum. Quod autem miraris in eo opere scriptum esse Cyrum Persarum regem bello a Tamire superatum, interfectumque fuisse, cum Xenophon illum in extrema senectute diem suum obiisse scribat, est fortasse nonnihil dubitandum in hujus interitus diversitate ab iis, qui Xenophontis scribendi rationem ignorent. Sed nolo te ignorare scriptores omnes testari Cyrum a Tamire interfectum, caputque ejus in utrem sanguinis demissum, ut qui sanguinem sitierat, sanguinem et potaret. [illegible] vero Xenophontis historia non usquequaque vera est: non enim historiam Cyri conscribere voluit, sed optimum principem, qualis nunquam fuit, effingere. Nam ut Plato rempublicam,

(1) Huic et subsequenti epistolae deest loci nota, sed Romae datae videntur primis mensibus anni 1451

quae videretur optima, descripsit; ita Xenophon optimam monarchiam excudere conatus est. Itaque non tantum ejus vitam et historiam secutus est, quantum optimi principis et pace et bello mores et instituta voluit complecti; quod et Marcus Cicero in quadam ad Quintum fratrem epistola scribit, dicens, Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii, et reliqua. Itaque nullus error in historia est. Nam alteri veritatem secuti sunt; alter optimi principis fingendi in Cyri persona sibi licentiam assumpsit. Redditus est mihi liber ab uno ex tuis de varietate fortunae. Nunc Diodorum, egregium rerum scriptorem plurisque aestimandum, per eumdem ad te mitto, rogans ut librum, et diligenter servari, et quam primum scribi cures; neque enim alium habeo, quantocius fieri poterit per fidum aliquem mittas. Ego tuus sum. Vale, et me ama.

EPISTOLA XX.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Arretino Jurisconsulto.

Non respondi litteris, quas antea a te accepi, quia nil erat, neque est, quod tibi significare possim, nisi te laterem lavare. Scis quae semper mea fuerit sententia de rebus et nostris, et tuis, quid sperem, vel desperem potius: ideoque in priori opinione persisto; apud nos fortuna superior

est caeteris rebus. Ideo da operam, ut fortunam tua virtute superes, id est, ut eam vitam eligas, in qua virtus potior sit viribus quam fortuna. Tute vides quanti homines docti fiant, neque te eximi credas a cetu reliquorum. Ego quinquagesimo quarto aetatis anno uxorem duxi, neque consilii mei poenitet. Consule tibi ipsi, neque aliorum praesidia expectes, quos vides esse in te ornando quam deceat remissiores. Si sapies, ibi jus tuum vende, ubi non pollicitationibus, sed nummis tibi satisfiat. Vale. Miror te nihil mihi unquam respondisse ad ea, quae te rogavi, quanta scilicet impensa sit opus in assequendo doctoratu: sed id vel negligentia accidit, vel quia nolis verum scribere; at utrumvis est a te alienum; igitur scribe, quod es pollicitus. Iterum vale, et me ama. Romae die XVIII Junii (1).

EPISTOLA XXI.

Poggius pl. sal. dicit viro ornatissimo Petro Thomasio Phisico.

Post reditum meum ad Curiam reverendus pater Archiepiscopus Spalatensis reddidit mihi litteras tuas, quae fuerunt mihi summae jucunditati, et simul orationem a te habitam coram imperatoriam statuam nomine Phisicorum. Respondebo primum litteris, deinde orationem com-

(1) Anni 1451.

plectar. Molestum fuit mihi non fuisse tibi tradita opuscula, quae ad te miseram per Porcelium Neapolitanum, qui in eo abfuit ab officio boni viri, et compatris fide. Sed quid de eo homine actum sit ignoro: nihil enim de eo sensi, postquam abiit a nobis. Verum nunc per Archiepiscopum mitto duas orationes, quas scripsi contra dementiam Laurentii Vallae; in utraque jurgiis ab eo et conviciis provocatus, ut necesse fuerit respondere: suam responsionem ad priorem meam non scribo, quia tribus libris perlongis in me invectus est inconcinne, inepte, absurde, ineleganter, ut non vacet tempus eas nugas exscribi faciendi. Dialogum meum nescio an videris, illum ad te per Porcelium mittebam. Curabo ut transcribatur quo ad te destinetur: sunt in eo questiunculae tres; prima, cui gratiae debeantur agi, convivis ne, an illi qui ad convivium vocarit: secunda, quae sit ars utilior ac excellentior juris ne civilis scientia, an medicinae: tertia, latine ne prisci Romani vulgo loquerentur, an esset distinctus sermo doctorum hominum a vulgari. Orationem tuam legi diligentius propter ejus elegantiam et auctoris dignitatem: sed laborem sumpsisti inanem loquendi apud exurientem ventrem, qui aures non consuevit habere. Functus es tamen officio docti et eloquentis viri, quod magis tibi sit, quam illi, futurum ornamento. Ego quoque excuderam nescio quid, ut id filius meus adolescentulus referret: sed videns postea non imperatorem, sed stipitem quemdam plumbeum, in quo nil esset praeter

studium cumulandae pecuniae, nolui et mihi et illi molestus esse: eam tamen dedi Archiepiscopo ad te deferendam. Tu leges, si videbitur, non enim omnino insulsa est oratio. Vale, et mei memor. Romae die XX Novembris 1451.

EPISTOLA XXII.

Poggius pl. sal. dicit Philippo Tifernati VC.

Non rescribam manu mea litteris, quas proxime a te accepi, impeditus morbo oculi, qui visum debilitavit, jam mensibus quinque ex quo eam valitudinem contraxi. Idcirco brevior ero, qui non ea voluptate dico, qua scribo. Videor enim, cum ipse scribo, coram loqui cum illis, ad quos epistola dirigitur. Ego antequam ab Urbe in patriam secederem, litteras tuas recepi, quibus tunc paucis respondi, et item eloquentissimi viri medici, cujus nomen e memoria abiit, qui ad me scripsit elegantius quam soleant in ea facultate eruditi; ei jam respondissem, ne me negligentem, aut inhumanum putaret, si ejus epistolam reperissem diutius a me quaesitam. Tuas vero litteras, quas te rescripsisse ais, nullas, post illam quam dixi, a te recepi, nisi eam, cui nunc respondeo, quam ad me detulit quidam religiosus pusillus homo, rogans ut tibi respondeam, et simul petiit, ut aliquid sibi darem ex meis scriptis ad te deferendum. Misi ante meum recessum ad te Dialogum, de quo tecum in balneis fueram

collocutus, et orationem, quam edidi in dementiam Vallae (1), de qua solum in tuis litteris meministi. Edidi item secundam uberiorem priore, et facetiis refertam, quam ad te mitterem, si domi esset; sed ita multi eam legere cupiunt, et scribere, ut mecum esse diutius non possit: curabo tamen ut eam habeas, cum primum invenero portitorem fidum. Gaudeo, si qua in re meae litterae, aut intercessio tibi profuerunt; tuum est a me petere cum ea fiducia, qua solent amici, si quid est, quod mea opera in rem tuam fieri queat. Saluta verbis meis virum doctissimum, quem summe diligo Hjeronymum nostrum, et Marescalcum, et item medicum, qui ad me scripsit, cujus epistolae rescribam, si qua diligentia poterit inveniri. Confabulationes, quae tibi deficiunt, sunt numero triginta, quas transcribi curabo, et ad te mitti cum oratione Vallea, ut tuo volumini adjiciantur. Sed ultima tuarum confabulationum non buccinale, prout scribis, continet, sed bugiale; quoniam is locus videbatur esse quaedam ridicularum rerum, in quibus multa mendacia vertuntur, officina. Vale, et me ama. Romae die XIV Decembris 1451.

(1) Quinque scripsit Poggius orationes in Laurentium Vallam, ut colligitur ex epistola quinta libri undecimi. Ab auctore dictae fuerunt Invectivae. Causam praebuerunt censurae, quas variis in locis apposuit Laurentius Valla operibus Poggii, praesertim Epistolis, quarum multae veritate et justitia carebant. Idcirco exacuit linguam Poggius, et censori respondit, ampliorem mercedem quam meruerat reddens, ut ex multis etiam epistolis subsequentis libri intelligitur; mos erat enim litteratorum hujus temporis virorum, in disceptationibus saepe ad contumelias decurrere.

EPISTOLA XXIII.

Poggius pl. sal. dicit Decano Trajectensi.

Vir doctissime. Venit ad me nuper vir prudens Jacobus ex Borsalia Decanus, et nomine tuo certas mihi cedulas ostendit, quarum in altera orationes continentur Ciceronis, quas habes; in altera scribis, tibi orationes et volumina quaedam deesse, tum ipsius Ciceronis operum, tum aliorum, quae cupis habere; ex quibus intellexi te non parvam operam nostris humanitatis studiis impendisse. Miratus sum tam studiosum eloquentiae, et optimarum artium virum, tam longe ab Italia, cujus haec studia vernacula esse videntur, reperiri. Sed ubique terrarum egregia nascuntur ingenia, atque ad omne genus doctrinae apta, si tanquam agri frugiferi excolantur, et si operam et curam illis homines impendere velint. Gratulor igitur latinis litteris te, illarum studio deditum, legere, perquirere libros ad hauriendam eam doctrinam, quae et ampla ac excellens est, et distat ab omni quaestus suspitione: eloquentia enim et humanitatis ac bonarum artium studia per se appetuntur ad excolendum bonis moribus et virtute animum, absque alterius rei additamento. In iis te omni studio versari summae est mihi voluptati, proboque maxime diligentiam, quam praestas ad libros investigandos, in qua re curam et operam ponere maxime laudandum est.

Verum ut ad orationes Marci Tullii veniam, video te multis ex iis quas habemus orationibus carere, quas tibi descriptas in cedula mittam praesentibus interclusa. Similiter in ea adnotabo opera Ciceronis quae requiris. quae quidem apud nos reperiantur. Verum ista raro venalia sunt, et si quis ea cupit, necesse est ut faciat escribi; in quo dabo operam, si cui eam rem commiseris, ut exemplaria haberi possint. Unum te maxime rogo, ut, cum scribas te habere quintam Orationem contra Catilinam. quae incipit: *Si quid praecibus apud Deos immortales etc.* des operam, ut quamprimum illam transcribi facias, atque ad me mitti, quoniam summopere illam videre cupio. Non est enim apud nos: et miror, cum ipse Cicero scripserit se tantum quatuor orationes contra Catilinam edidisse, quintam reperiri. Sed existimo, aut aliam esse orationem, aut ab alio, quam a Cicerone, compositam. Sed quaecumque ea sit, gratissimum mihi feceris, si curabis ut illam quamprimum tua diligentia possim videre; quod ut facias, tuam benivolentiam oro. Vale, et quantum id mutuo fieri cognosces. me ama. Romae die ultima Decembris 1451.

EPISTOLA XXIV.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo Archiepiscopo Ravennati.

Reverendissime pater mi, et domine carissime. Jocabor tecum more meo super muneribus, quae ad me misisti. Accepi a te quatuor pisces salsos ex iis, quos schenales vocant, qui fuerunt mihi carissimi: nam praeter caetera salsamenta est ejusmodi cibus mihi acceptus et uxori. Absunt enim ab eo non solum mali umores, sed etiam boni, ut stipitem quemdam perunctam, cum illos videas, te putes videre. Praeterea, quod haud parvi faciendum est, sitim provocant, quam sedare voluptas est minime contemnenda. Ficus plures mihi traditae sunt quam sit mihi necesse, sed partim usui familiae servabo, partim tradentur amicis. Sed ejusmodi ficus, quae appellari possunt triumphales (lauro enim coronatae sunt) majores viros decent, et triumphis assuetos. Ut autem verum fatear, absque triumphorum insignis, meas fuisse optarem; nam ejusmodi redimicula deterioribus accomodantur: bonitas per se ipsam lucet. Itaque abutar humanitate tua, et duo tamen serta a te petam ex iis electioribus, quae arundinibus infixae majoribus destinantur absque laurea triumphali. Scis quid dicam; sed tamen pro iis quae accepi ago tibi gratias ingentes, ut inquit ille, pene dixi plusquam ille ingentissimas, cum sint

testes tuae in me benivolentiae. Video enim te solum ex iis quos amo ex priori illa nostra schola, et a quibus me amari puto, esse memorem mei, neque imminuisse erga me ulla ex parte solitam benivolentiam, sed novis in diem officiis, nova liberalitate, novae benivolentiae significatione, et re, et litteris, majorem in modum auxisse; ut vere amicus appellari queas, quem nulla dignitas, nullus honos, nulla amplitudo a priori voluntate immutant. Gaudeo, mihi crede, cum video tuam humanitatem minime oblitam Poggii tui, qui quamvis tibi gratias opere nequeat referre, tamen animum gratum et mentem beneficiorum memorem tibi offerre potest. Ego ex iis sum vulgaribus, qui equos currentes incendunt acclamationibus, et ad celebrandum cursum vocibus impellunt. Si quid amplius possem, ostenderem quanti te facerem, quantique tuam virtutem existimarem; bonos certe viros imitaris, quorum est serere beneficium, ut fructum fidei possint metere: id quoque praestantis est viri ita liberalem esse, ut beneficentiam non foenus sequi videatur; sed quo pauciores hanc sectam sequuntur, eo gratior habetur virtus, ac majore digna commendatione: omnia enim praeclara rara; difficillimaque est ad virtutem via. Sed ridiculus ego sum, qui a jocis ad philosophiam descendi. Voluntas me traxit tecum tanquam cum altero me colloquendi. Vale, et me, ut facis, ama [1].

1 Deest loci nota, sed Romae datam fuisse arbitramur mense primo maii 1452

EPISTOLA XXV.

Poggius Georgio Trapezuntio.

Recepi tuas litteras, ultraquam mores tuos et doctrinam deceat, contumeliosas nimium ac petulantes: ignosco naturae tuae et animi perturbationi, in qua ex tuis verbis intelligo te versari. Sed ne videar tacendo, vel assentiri, vel contemnere quae scribis, et ut me purgem in eo, quo me inique et falso accusas, respondebo paucis, et paulo modestius quam tu, ne in quo es reprehendendus te videar imitari. Ego nihil unquam, quod jure te deberet offendere, contra te egi; non verbo, non litteris tibi unquam detraxi; non commodis tuis unquam obstiti, sed dilexi ut virum doctum usque ad eam diem, qua tu acceptam de communi pecuniam per fraudem denegasti, quae nostri discidii causa fuit. Nunquam aliquid de te cogitavi, quod non solum tibi, quamvis iniquus sis judex, sed cuiquam bono viro debeat displicere: tu an idem feceris, tuae litterae satis impudenter scriptae testantur. Arguis me ob rem antiquam, quod olim scripserim in quadam epistola, te nominans, parum bene consulti hominis videri; idque in tuam contumeliam scriptum putas. Quam rem alias et verbis, et per epistolam apud te purgavi; scribens multa in tuam laudem, quae rectius tacuissem, credebam tibi ex mea defensione abunde satisfactum. Sed animus tuus, ut

video, exulceratus, quoniam alia desunt, ex inani re jurgandi causam quaerens, conceptum contra me odium nequivit continere, ne dum in Trapezuntio, sed ne in Catone quidem fuissent ea verba contumeliosa. Si tantum in te consilii esse putas, ut errare nequeas, nimis tibi omnium judicio arrogas; si errare te posse fateris, non mireris id de te dictum, quod sapientissimis quoque viris aliquando videmus objici, cum dicantur ea egisse, quae non bene consulti hominis esse videantur. Narras longam fabulam in rejiciendo in me praeteritorum culpam, quae existimabam tibi jam ex animo, prout mihi acciderat, excidisse; quae acta sunt, nequeunt immutari: sed ab iniquo interprete saepius in malam partem vertuntur. Tua tamen verba tanti faciam, quanti hominis iracundi, et hac in re non rectum judicium sequentis: neque vero propter tuas calumnias mutabo mores meos, neque tecum verborum turpitudine, sed virtute contendam. Unum tamen dicam: vide ne alteri falso objicias, quae in te et tuos haud falso rejecta, te rubore perfunderent. Non intelligebam, neque enim expresseras in litteris ad me tuis, quae causa te ad me lacerandum impulisset; sed in copia litterarum, quas ad Pontificem scribis, cognovi quid quereris, me scilicet percussores ad te occidendum ex Urbe misisse mense Decembris; quod totum cum nihil sit, honestum foret nihil quoque tibi a me responderi. Veruntamen rectius fuisset id facinus in tuis litteris inseri, ut a te ipso cognoscerem in quo me tam acerbe accusares.

Nam quid opus fuit, nisi ad malivolentiam et infamiam adversus me excitandam, falsam et ridiculam querelam ad Pontificem deferri? Nunquid ita sum ignotus Pontifici, aut notus sicarius, et in caede hominum hactenus versatus, ut existimes Pontificem, aut alios, credere me talium insidiarum fuisse auctorem? Ego tibi persancte possum jurare, non solum tui tollendi consilium non coepisse, sed te ita excidisse ex animo, ut vivus ne, an mortuus esses non satis memoria tenerem: nimium, mehercules, ocio inerti abundarem, si de Trapezuntio cogitarem. Itaque neque fuit unquam, neque est ulla in me cura tale facinus perpetrandi; quippe qui multis de causis optem, ut diutius vivas, praesertim per foenus amissis pecuniis, quae tibi tantam superbiam subministrabant. An vero ita me stultum putas, ita imprudentem, ut nescio quibus vanis hominibus, qui te inani ostentatione terrerent, meam famam et existimationem, ut de animae salute omittam, committere voluisse? Absit a me talis cogitatio, nedum opus. Est moris mei, tum reliquis in rebus, tum in hoc sequi praecepta sapientum, quae jubent oblivione potius injurias esse, quam manu aut viribus ulciscendas. Persuade tibi quod libet: futurum tempus te ostendet male sensisse, et incertam suspitionem pro certo maleficio accepisse. Tuum est credere ut voles; ego mea conscientia contentus ero: si tamen modestiam a me praestitam, in qua me laudo, fuisses imitatus, et te, et me inani labore et molestia

liberasses. Nam cum ad me, dum essem nuper Florentiae, a pluribus scriptum esset, te possessiones meas a rege inclito Aragonum dono postulasse, atque impetrasse, non sum tecum eam injuriam questus, neque quicquam ad te scripsi contumeliosum, existimans famam, quae ferebatur, non esse veram, et id factum a prudentia tanti principis alienum. Quod vero mihi minaris, feram aequo animo: sed scito me, neque opibus, neque dignitate, neque patria, neque filiis, neque cognatis, neque amicis (nam affines tibi relinquo) esse Trapezuntio inferiorem, quibus potius utar ad gloriam, quoad licebit, quam ad alterius calamitatem. Ago tamen Deo gratias, qui nummis a te per fraudem quaesitis, atque in turpissimum quaestum foenoris collocati, non sivit diutius frui. Romae pridie Idus Februarias 1452.

EPISTOLA XXVI.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Arretino Jurisconsulto.

Ego litteris meis, quas ultimo ad te scripsi, tecum jocatus sum, prout consuevi. Tu vero mecum agis gravitate nescio qua censoria, redigens epistolam meam ad normam philosophiae. Equidem non scripsi ad te de tua doctrina, neque existimatione ulla virtutis tuae, sed de moribus nostris, atque adeo multorum, apud quos virtus non recto judicio aestimatur: id non novam, sed

antiquam ostendi fuisse consuetudinem. Quanquam non bene recolo quid tunc scripserim, dictavi enim epistolam librario meo dicens, quae veniebant in mentem, et quae tibi conducere arbitrabar. Hortatus sum te ad deponendam curam Curiae, et ad uxorem ducendam non quidem e vestigio, neque inconsultus, ut sentire videris, sed cum tempus id ferret, cui nos parere sapientes volunt. Expressi quid tibi agendum videretur, tui est nunc sumere consilium, quod in rem tuam videris quadrare. Amicitia nostra postulat, ut ea scribam, quae utilitati et honori tuo convenire sum arbitratus; tuae prudentiae erit quam malueris sententiam sequi: quicquid autem egeris, te optimo consilio egisse putabo. *Prieya Iddio, che te la mandi bona.* Vale, et me ama. Romae die VII Aprilis 1452.

POGGII

EPISTOLÆ.

LIBER UNDECIMUS

EPISTOLA I.

Poggius pl. sal. dicit Petro de Noceto Secretario Apostolico.

Multae ac variae rei familiaris componendae occupationes, amantissime Petre, me diutius impeditum tenuerunt, quominus scriberem, aut Sanctissimo Domino Nostro Summo Pontifici, prout cupiebam, aut benivolentiae tuae. Nunc a continuis curis sarciendae domus paulum liber, redeo ad pristinam consuetudinem meam scribendi, ne videar nostrae oblitus amicitiae. Ego cum venissem Florentiam receptus sum tanta civium omnium erga me benivolentiae significatione, ut mihi per multos dies omnium ordinum homines etiam gratias egerint, qui hoc munus

officii susceperim, ut haec omnium voluntas mihi gratior multo fuerit, quam dignitas officii, quod plures aestimabant me recusaturum (1). Sed saepius animum reflecto ad suavitatem, jucunditatemque Curiae, et ad Domini Nostri summam in me benignitatem. Venit in mentem tuae caeterorumque amicorum suavissimae consuetudinis, in qua requiesco, et plurimum cum mihi adhuc videar esse in patria tanquam hospes; sed in diem usus haec mitigabit. Unum est in quo consoler, quod isti domini mihi summam libertatem concedunt assumendi, et declinandi laboris, prout libuerit mihi. Te precor ut roges Dominum Nostrum, ut conservet memoriam Poggii sui, neque obliviscatur suae pristinae erga me charitatis. Nam multum mihi proderit ad conservandam penes istos meam, si qua est, auctoritatem. Tu quoque nostram amicitiam fove cogitatione mutuae inter nos benivolentiae. Mandatorum memor tuorum circa libros emendos, inveni volumen

(1) Ob interitum Caroli Aretini Reipublicae Florentinae Cancellarii, ejusdem munus cives unanimi consensu Poggio obtulerunt, qui vice illa, quod antea [illegible], asserebat tantum se lucri habere quantum ad vitam ducendam satis esset, laeto animo accepit, cogitans eo in gradu uberiorem statum filiis daturum, ut ipse testatur in epistola tertia et decimatertia hujus libri. Hac consideratione motus, Romanam curiam, ubi quinquaginta annos fuerat, reliquit, et mense junii anni 1453 Florentiam venit cum familia, ubi receperunt eum cives omnes magno plausu, et munus novum sumpsit anno aetatis suae septuagesimo tertio, quod usque ad finem vitae servavit.

Epistolae fere omnes, quae in hoc et sequentibus libris continentur, nota carent temporis, si paucae excipiantur, quibus ipse auctor diem certam assignasse videtur. Difficile erat, immo impossibile, absque regulari illa mensium successione, quae in antecedentibus voluminibus reperitur, unicuique epistolae certum tempus assignare. Satis fuerit hoc scire illas exaratas ex annorum tempore, idest, quamdiu vixit Poggius post reditum suum in patriam, ex qua omnes datae fuerunt.

epistolarum Beati Hjeronymi, in quo multa continentur. Liber est pulcherrimus, litteris crassioribus. Epistolarum et rerum, quae in eo continentur, mitto tibi inventarium, ut ajunt, ut communices cum Domino Nostro talium expertissimo. Praetium est quadraginta quinque aureorum novorum: scio multa hujusmodi epistolarum volumina, in quibus pauciora scripta sunt, majori praetio empta fuisse; consulo illum emas, nam raro venalia reperiuntur. Est insuper Biblia majoris voluminis, inscripta litteris antiquissimis, ac pulcherrimis, prout sunt sermones priscorum doctorum: sed desunt psalmi: praetium est XL aureorum. Si essem dives, esset inter libros meos: tu tamen delibera quid velis, et satisfaciam voluntati tuae. Vale, et mei memor. Saluta commatrem verbis meis, dominum Episcopum Perusinum, omnesque cubicularios.

EPISTOLA II.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao Papae V.

Veni Florentiam, Beatissime Pater, incolumis cum familia, excepto eo, qui Canonicus est Florentinus, quem adhuc tertiana febris vexat; magna omnium civium alacritate et plausu receptus sum, ita ut mihi videar aliqua in aestimatione me apud cives esse; et insuper mihi, quod multi facio, libertas est meo more vivendi concessa. Adeo tamen Curiae consuetudo et jucunditas

dulcis fuit, ut videar non redisse in patriam, sed a patria recessisse. Refero animum saepe ad Sanctitatem Tuam, quae me unice semper dilexit, ita ut in ejus commemoratione vix scribendo contineam lacrymas. Refero mentem ad antiquam multorum consuetudinem ac suavissimam, quae efficit, ut haec novae vitae institutio injucundior videatur. Tamen paulatim haerebo moribus istorum, et continuo usu obsolescet paulatim Curiae desiderium, quod me nunc implicitum tenet. Fui, et adhuc sum occupatus in comparanda domus supellectili, quae non parum molestiae attulit mihi; nunc, cum incipiam esse paulum liberior a curis, redibo ad mortuorum consuetudinem, et cum nostris litteris in gratiam redibo, a quarum familiaritate abfui diutius quam vellem. Te oro per Tuam in me charitatem ne abjicias memoriam hominis tibi deditissimi: opto Te bene, et ex sententia valere. Florentiae XI. Kalendas Julias 1453.

EPISTOLA III.

Poggius pl. sal. dicit Domino Francisco Cardinali Vicecancellario.

Reverendissime in Christo Pater, et Domine mei amantissime. Mutatio locorum, exercitii vitae quotidianae animum meum adeo implicitum ad hanc diem detinuerunt, ut mihi viderer non civis, sed hospes quidam et novus accola in patriam

venisse; et non solum scribendi, sed ne respirandi quidem a privatis molestiis, prout in rebus novis fieri solet, locus mihi concederetur. Quamvis autem cives isti me praecipuo honore afficiant, et plusquam in Cancellarium conferant honoris; parum in hoc officio molesti, tamen diuturna Curiae consuetudo me, suis moribus enutritum, et pene in ejus institutis inveteratum, aliquando angit, referentem animum quandoque ad Curiae libertatem, ad amicorum pristinam benivolentiam, quorum suavitate privatus, novas amicitias quaerere, et nova vitae institutione uti cogor. Novos vero amicos contrahere difficile videtur, homini praesertim ferme, ut ajunt, capulari. Sed tamen adest unica consolatio, spes scilicet filiorum, quorum statui et utilitati, magis quam meae, aut quieti, aut libertati, est consulendum. Spero diem difficultates omnes esse mitigaturum, neque novum officii genus, aut mores, et consuetudinem rerum ante mihi ignotam, impedimento fore quominus meo more vivam. Interim vacabo studiis nostris, et ab eis consilium petam. Ita tempus transigam, ut nemini sim molestus, et quicquid a negotiis publicis, aut privatis curis supererit, conferam ad studia litterarum, quarum in familiaritatem, jam diutius aberrans, cupio reverti. Te rogo, atque oro, pater carissime, ut primum me commendes verbis intimis S. D. N.; deinde ut teneas non labilem sed firmam memoriam Poggii compatris tui, qui est deditissimus tibi. Vale diu, et me ama ut soles. Pridie Kalendas Julias.

EPISTOLA IV.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali S. Sixti.

Quamvis, reverendissime pater, ea quae videntur homini maxime exoptanda mihi videar consecutus, ut scilicet in patria sim cum dignitate, otio et utilitati conjuncta; tamen referens persaepe cogitationes meas ad amplitudinem Romanae Curiae, in qua quinquaginta annis fuerim cum laude versatus, angor aliquando animo, cum multorum, qui me unice diligebant benivolentia, amicitia, consuetudine sim privatus. Quos inter, cum a te me amari et verbis et opere perspexerim, difficile atque asperum mihi videtur non posse te, prout cupio, videre; fui etenim semper tibi deditissimus, tum propter egregiam atque spectatam virtutem tuam, tum propter doctrinam et integritatem vitae. Non enim in te advocati aut procuratoris, sed Cardinalis et optimi viri semper officia perspexi Accessit ad cumulandam meam erga te affectionem, quod magister Stephanus medicus Florentinus mihi tuo nomine salutem dixit, quae mihi res tam grata fuit, quam quae maxime esse potest. Vidi enim te memorem Poggii tui, neque, ut multorum est, absentis oblitum, praesertim ubi nulla utilitatis ratio praecessit. Hic mihi tantum datur otii quantum cupio, quod in litteris consumo, quoad privatae sinunt occupationes. Difficile est novum vivendi genus ingredi, novas quaerere

amicitias, multorum opinionibus satisfacere, mores diversorum hominum perferre, quae me res nondum quieto animo frui sinunt, minusque quam vellem temporis pono in studiis nostris. Aliquid tamen aggressus sum, ne vitam praeteream silentio, quod me commendet posteritati (1). Id autem mihi maximae curae est, ut integram valetudinem conservem, quod idem quoque tibi censeo faciendum, tum tua, tum aliorum causa, qui tuo patrocinio ac favore egent. Oro autem ut me Domino Nostro Sanctissimo commendes verbis quibusdam exquisitis, ut soles pro amico. Ego tuus sum, cui me plurimum commendo. Florentiae.

(1) Opus de quo loquitur Poggius, propter quod sit auctor posteritati mandandus, absque dubio historia Florentina est, latino sermone scripta, quae extremus literarius labor Poggii dici potest; nam illud aggressus ut patriam revisit, continuo usque ad finem dierum suorum in illo se exercuit, quin, morte praereptus, extremam manum ponere potuisset. Haec historia, in libris octo divisa, luminosum et magni ponderis periodum annalium Etruriae complectitur, nam gestarum continet narrationem in quibus Florentini partem habuerunt a primo bello cum Joanne de Visconte inito anno 1350 usque ad pacem Neapolis, quae instaurata fuit anno 1455. Nemini quam Poggio facilius erat hanc scribendi munus historiam, cujus ipse testis erat, tum quia prope magnates semper fuerat, tum quia continuo epistolarum commercio cum hominibus rebus publicis praepositis notiones multas acquisiverat. Veridicus in rerum expositione, saepe illas authenticis documentis illustrat, et clariores reddit. Stylus est vivax, in praeliorum descriptione praesertim; et plane ostendit quantum Poggius ab antiquis Classicis didicisset. Docti illius temporis viri auctorem accusant nimium a patrio amore differri; et poeta insignis de Sannazzaro accusationem hanc breviat in hoc sequenti epigrammate

Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem,
Nec malus est civis, nec bonus historicus

Sed valde excusatione dignum et leve crimen hoc est, in Poggio praesertim, qui patria charitate semper exarserat.

Historiae Florentinae Poggii usque ad annum 1715 repositae in bibliotheca Medicea constiterunt. Edidit illas primum Joannes Baptista de Recanatis Venetus pulcherrimis typis. Jacobus filius Poggii paternum opus in Italicum sermonem verterat antea multum

EPISTOLA V.

Poggius pl. sal. dicit Mathiae Trevisensi.

Per Jacobum Camerinensem domini Alexandri secretarium mitto ad te quinque oratiunculas meas, quas edidi in spurcissimum monstrum Laurentium Vallam. Scio, si eas legeris, non continebis risum, quoniam multis salibus, et facetiis sunt refertae. Exscribi eas facias velim, et cum quibus tibi videbitur communices; meas autem ad me remittas, quia volo Venetias deferri ad amicum quemdam, qui eas postulavit, ut illius dementis insania notior fiat. Vale, et me ama.

EPISTOLA VI

Poggius pl. sal. dicit Domino Petro de Noxeto.

Mi Petre, impensa qua premimur in hoc praesenti bello, et calamitas civitatis Constantinopolitanae, quae vereor ne ad plures descendat, quam opinemur, abstulerunt jocandi facultatem. Non enim possum in communi moestitia non et ipse moestus esse. Confugio tamen ad studia nostra, et cum mortuis loquor. Video semper multos adverso fortunae flatu naufragium perpessos: video orbem terrarum semper variis tempestatum fluctibus agitatum: vereor ne Vandalorum, aut Gothorum tempora redeant; quibus nisi communi consilio

atque auxilio quamprimum obvietur, et Italia omnis, et reliquae Christianorum provinciae, dubitandum est ne veniant in rerum omnium discrimen. Octuaginta miliaribus prope Italiam Teucrorum potentia versatur: cui quantum periculum immineat, facile est perspicere etiam stultis. Multa essent dicenda, si pericula nobis a Teucris imminentia vellem recensere: id dicam, Teucros, si victoriam prosequuntur, brevi Italia potituros. Nam et propinqui sunt, et ad bellum prompti, et nos invenient intestinis bellis dilaceratos. Sumendus tamen est animus, et vires praeparandae ad communem defensionem, et tantum incendium restinguendum. Ad hoc incita, et hortare Summum Pontificem, unicum fidei caput: nam omnes in eum respiciunt. et sicut alias ad te amice scripsi, hortare, ut cesset ab impensa aedificandi, quam, ut tecum vera loquar, omnes non culpant hoc tempore, sed detestantur. Non tamen haec ei dicas; nolo incurrere indignationem suam, quamvis mihi gratias deberet, qui ea ad te scribam, quibus et culpam et infamiam fugere possit, et laudem consequi. Sed et haec hactenus. Litteras meas, et Pontifici nostro, et tibi placuisse magnae mihi est voluptati; si mitior aura affluxerit, scribam ad te saepius, et more meo jocabor. Sed hoc est molestum, quod neque ego facile possum mea manu scribere, neque librarium habeo, in quo de rebus privatis confidam. Quod registra mea requiris, scio moris esse, ut mortuorum tantum registra ad cameram deferantur, vivorum non item; sed in

absentia relinquuntur alicui ex praesentibus. Vidi ego Antonium Luscum, Leonardum Arretinum, Michaelem Pisanum, multosque praeterea cum abessent aliquandiu a Curia, semper scripta sociis reliquisse. Ego ita sum absens, ut non eripuerim mihi facultatem redeundi, si id tempus ferret, aut voluntatem. Dixit mihi ter Dominus noster ante meum recessum me non annum horum molestias atque ineptias passurum: horum verborum memor domum reliqui Renucio socio nostro et registra mea, ut essent in promptu volentibus. Si tamen cupitis, illa sumite pro voluntate. Sed videtur mihi honestum esse servare antiquos mores, et priorum consuetudinem. Sed isti vestri de Camera, et plus possunt quam soleant, et plus appetunt quam ratio praescribat. Scio vos, hoc est et Pontificem et te, majoribus curis detineri, quam ut de meis registris sit hoc tempore cogitandum: veruntamen fiat voluntas vestra. Emi Epistolas Hjeronymi quadraginta unum aureos novos, quorum unum voluit Cartolarius: videntur mihi bene hoc praetium et amplius ferre, in Curia vero multo plus etiam emerentur. Si tibi liber placebit, gaudebo me aliqua ex parte satisfecisse tuae voluntati: sin vero minus, ego praetium restituam. Bibliam emi XXV aureis, prout alias ad te scripsi, neque ejus voluminis magnitudo me terret, manebit mecum, si eam noles, nam litteris est pulcherrimis. Legati expectantur magno cum desiderio, quanquam nihil est opus nos ad eum cursum hortari, ad quem sumus nostra sponte incitati: sed aliorum superbia et

elatio, alterius ambitio, fraenis egent. Vale, manu tremula et veloci. Commenda me Domino Nostro verbis intimis, et me ama. Florentiae XXV Julii.

EPISTOLA VII.

Poggius pl. sal. dicit Petro de Noxeto V. C.

Si vales, bene est: ego quidem valeo. Jannotius Manettus vir ordinis equestris, Domini Nostri Papae Secretarius accedit ad Urbem, ut se exerceat, vel in officio Secretariatus, vel in obsequiis Domini Nostri: vir doctissimus est, summae modestiae ac prudentiae, et qui diligi mereatur; non displicet mihi hunc esse socium nostrum, quoniam sua virtus et auctoritas reddet dignitatem officii ampliorem. Sunt enim tales homines ultro recipiendi, et colendi, qui boni viri officium sequuntur. Ego autem, tantum abest ut hunc socium recusem, ut etiam Domino Nostro summas gratias agam, qui dignitatem nostram hujus viri auctoritate ampliavit. Hunc ego commendo tibi tanquam me ipsum, quamvis enim certus sim te tua sponte omnia illi praestaturum, quae ad suam amplitudinem spectent; tamen in modum rogo, ut ipse sentiat meas litteras aliquid apud te ponderis habuisse. Scio te quicquid favoris et dignitatis in eum contuleris, apud hominem, et gratum, et beneficii memorem collocaturum. Vale, et me S. D. N. commenda, et rem socii mei ne oblivi-

scaris oro; sed office cum Domino Nostro, ut post Anniballum ad officium jam olim sibi demandatum proficiscatur. Florentiae.

EPISTOLA VIII.

Poggius pl. sal. dicit Magnificis Dominis Prioribus, et Octo Baliae Civitatis Castelli.

Magnifici Patres, et Domini mei carissimi. Dilexi jamdudum summa cum charitate Ludovicum Luce et ejus fratrem, qui in Terra Nova patria mei natalis soli propter dissensiones civiles ab eorum civitate fuerant relegati. Cognovi eos tunc ex mutua consuetudine viros bonos, honestos, intentos rebus suis, et discordiis ac dissensionibus inimicos. Misertus sum calamitatis eorum, et multos ex vestris civibus, dum essem in Curia, rogavi pro eorum restitutione. Postmodum vestra benignitas eos propius redire permisit, quod mihi fuit summae consolationi: nunc cum mihi videantur homines pacifici, et cupidi vacandi exercitiis suis, et sint rebus suis contenti, rogo, atque oro quantum possum prudentiam vestram, ut velitis etiam mei intuitu, qui sum servitor vester, libere restituere ipsos Ludovicum et fratrem in civitatem, quod scio vobis consolationi futurum. Non scriberem hoc vobis, nec rogarem, si suspicarem aliquid insidiarum aut scandali imminere vobis ex reditu ipsorum, aut alicujus discidii causam fore. Nam si quisquam praeter cives vestros unquam

fuit, qui statui vestro et verbo et opere tempore Eugenii faveret, Poggius fuit, prout multi vestri cives hujus rei testes esse possunt. Itaque tanquam unus ex vobis, et tanquam homo vobis amicissimus hanc gratiam peto, quam si mihi, prout spero, concesseritis, referam vobis gratiam, si facultas erit. Reddetis me certe ex hoc vestro beneficio multo quam antea obligatiorem vobis. Florentiae Kalendis Novembris.

EPISTOLA IX.

Poggius pl. sal. dicit Serenissimo Principi, et Domino singularissimo D. Joanni Castellae et Legionis, Regi Illustrissimo.

Licet aut stulti aut temerarii hominis esse videatur Serenitatem tuam a multarum rerum agendarum, et cogitationum varietate, prout tanti regni ratio postulat, litteris meis haud magni aestimandis avocare; tamen quia sapientiam et humanitatem tuam multis in rebus perspectam jamdudum intellexi, tum etiam quia verbis paucis sum usurus, coepi fiduciam ad te scribendi, de rebus praesertim, quas tibi gratas fore existimavi. Narravit mihi venerabilis vir mihique amicissimus Nicolaus Junch, quia ad tuam Serenitatem veniens hac iter fecit, te res meas summo cum desiderio legere, eisque plurimum delectari, quod ex tua humanitate accidere sentio, cum nil in meis sit opusculis, quod mereatur tanti principis lectionem.

tamen, vel ut desiderio tuo satisfaciam, quod ille me rogavit, vel ut sim paulum importunior, quod hac una in re licere videtur, dedi Nicolao duo opuscola ex meis ad te deferenda, alterum contra Hypocritas, alterum in quo tres continentur disputatiunculae, quas spero futuras tibi non injucundas. Mitterem alia opera magis egregia, et te digniora, si tempus pateretur: sed alias, si novero opera mea tibi grata esse, cumulabo te ampliori munere, neque inutili ad boni principis officium. Est enim liber Xenophontis de vita Cyri Persarum regis, in quo optimus describitur princeps, non qualis quisquam unquam fuit, sed qualem deceat esse eum, qui velit juste imperare. Vale, Serenissime Princeps, et quoniam coepisti, sequere studia litterarum, quae tibi majorem laudem et gloriam, quam ulla imperia praestabunt: illa enim et eorum ministri perpetua oblivione defuncti in obscuro essent, nisi litterarum beneficio nomen illorum foret ab interitu vindicatum. Florentiae.

EPISTOLA X.

Poggius pl. sal. dicit Domino Nicolao Gubernatori Civitatis Castelli Prothonotario.

Accusarem, reverende pater, meam negligentiam in respondendo litteris tuis, si id mea culpa, non eorum qui ad me illas detulerunt, accidisset. Nam omnes abierunt me inscio, ex quo etiam mea in respondendo quaedam incuria subsecuta est.

Ego tuis epistolis admodum sum delectatus, tum propter earum suavitatem, tum quia singularem erga me amorem tuum prae se ferebant; hoc mihi est caeteris rebus jucundius. Delector enim, et mihi ad summam laudem duco, plures viros, praesertim doctos et tibi virtute similes, mihi et charitate et benivolentia esse conjunctos. Etenim cum omnium benivolentia appetenda est, ut naturae officio pareamus, quae ad mutuam necessitudinem nos impellit, tum vero eorum maxime, in quibus virtutis splendor eluceat, quae solet nos cogere ad amorem etiam ignotorum, quanto igitur magis magnifacienda est tua benivolentia, ad quam tuis me litteris provocas, quam pluribus tuis in me officiis ostendisti? Equidem laetor me tanti viri amicitiam consecutum. Verum si quando tardior ero in officio litterarum, dabis veniam occupationibus plurimis, in quibus versor, tum etiam senectuti, cujus natura tarda est ac morosa. Te tamen animo et cogitatione complectar. Tu ibidem ut de me facias rogo, et si quando ad me scripseris, manda illis qui litteras deferent, ut a me responsum petant, ne eorum culpa in meam vertatur. Vale, et me ut soles ama. Florentiae.

EPISTOLA XI.

Poggius pl. sal. dicit Archiepiscopo Ravennati.

Vir utrique nostrum amicus, pater mi reverende, hac iter faciens, cum me convenisset domi,

narravit se apud te fuisse, et mihi tuo nomine plurimam salutem dixit: quod mihi gratissimum fuit te recte et ex animo valere; hoc mihi summam attulit jucunditatem pluribus de causis, sed praecipue quod et tibi bene esset, et mei memor videreris. Ego post meum a Curia recessum nihil ad te scripsi, quia veni tanquam novus incola in hanc patriam, ubi plurima negotia impediverunt quominus esset facultas, et ad te, et ad alios meo more scribendi. Nunc liberior factus servabo consuetudinem meam, cum tempus dabitur, ut possim meas ad te litteras dare. Non enim nostra amicitia iis fundamentis jacta est, ut facile convelli, aut spatio temporis possit, aut epistolarum tarditate. Ego autem tuorum in me meritorum officio ingratus essem, si qua res tanta, aut tam gravis esset, quae memoriam tui ulla ex parte ex animo meo deleret. Te igitur rogo, cum tempus superest, ut ibidem ad me scribas, quo in statu sis, quid agas, quid aut facias, aut sis facturus. Nam cum tuas litteras legam, videbor mutuis verbis colloqui, notasque audire, ac reddere voces. Unum non obliviscaris rogo tributi tui consueti in ficubus destinandis; erunt mihi cariores in hac patria, quo pauciores isthinc ad nos deferuntur. Sed nolo ut ea copia utaris, qua consuevisti cum essem in Curia, sed manu magis parca, cum minor sit indigentia quam antea fuerit: Nam et pauciores enutrio domi, et aliquid percipio ex praediolis meis. Vale, et me ama ut soles. XXIV Julii 1453.

EPISTOLA XII.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Coppino V. C.

Scio pro mutua nostra benivolentia te iis rebus omnibus laetari, quas in meum commodum esse opineris. Ego quicquid egi, otii egi et quietis gratia, quae sum, ut videor, ex animo consecutus. Jam enim tempus et aetas ferre videbatur, ut tanquam veteranus in aliquam Coloniam deducerer, quae esset sustentaculum senectutis. In fabula Decadum Livii, quam narras, tu parum ego minimum fidei habendum duco, totiens enim sum ejusmodi ostentationibus ac pollicitationibus delusus, ut nesciam quid, aut quatenus sit credendum. Est vetus historia, et usque a tempore Martini coepta, Nicolai cujusdam Gothi asserentis has Decades Litteris Longobardis scriptas, nonnullis Gothicis admixtis characteribus, esse in Dacia, seu Norvegia in quodam monasterio. quod dicitur de Sora, ad quas perquirendas nonnulli meo rogatu profecti sunt, qui mihi postmodum retulerunt nullos ejusmodi libros se in eo Monasterio repperisse. Alii aliud nominant, ad quod quidam meo rogatu, licet incassum, accesserunt; novissime a Summo Pontifice missus est ad eos libros perscrutandos Enoch Esculanus, qui adeo diligens fuit, ut nihil jam biennio invenerit dignum etiam indocti hominis lectione. Nescio igitur quantum huic novo inventori credendum sit. Tu tamen pro

ua prudentia hominem convenies, ac scrutaberis liligentius quanam in provincia libri sint, si audivit, si vidit, si legit, quot sint volumina, et utrum ranscribi, an praetio afferri possint. Si videbitur liquid certi afferre, ut nonnihil sperandum sit, abitur opera ut libri in lucem e carcere eruantur. loc ei meo nomine promittas etiam sub nummuariorum fide pro qualibet Decade, quam ad me rimum detulerit, centum aureos daturum. Vereor e hic homo aliquas pecunias expiscari velit, quibus d patriam se conferat, nunquam postea rediturus: leo perquire ab homine quam potes diligentius uod sperandum sit, et an videatur verba ad falndum fundere, an serio et consulto loqui, et ad ie ejus responsum perscribas; neque enim rem mnino negligere oportet, neque nimium credere. go tuas litteras expecto. Vale, et in hoc perquiendo non solum diligens sis, sed etiam curiosus. lorentiae.

EPISTOLA XIII.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco.

Gratulatio tua non sera, sed in tempora advenens mihi perjucunda fuit. Certus enim sum te o nostra mutua benivolentia non secus rebus eis prosperis ac tuis gaudere. Nam cognita jamdum mihi est tua affectio erga res meas omnes, ias novi semper tibi summae curae esse. Verum ratenus sit mihi gratulandum ignoro; dimisi enim.

ut nosti, amplitudinem Curiae, summam dignitatem, honestum et uberem quaestum, et veram ut velis vivendi libertatem. Ab adolescientia autem in Curia quinquaginta annis sum educatus, cujus moribus, tanquam alterius patriae, institutus, non absque summa animi molestia, et veterem amicorum consuetudinem, et jam inveteratos mores, et diutius expertam libertatem reliqui. Traxit me tamen avitae patriae charitas, quam me ad se vocantem spernere, et superbi hominis et ingrati esse videbatur. Praeterea rectius visum est, quicquid aetatis superesset in patria consumere quam alibi gratia liberorum, quibus non tantum divitiae relinquendae sunt, quantum etiam locus in sua republica se dignus. Itaque magis filiorum cura me traxit, quam voluntas. Sum tamen hic inter cives et auctoritate et honore ultra quam mea merita exposcant, ut desiderium Curiae horum erga me benivolentia leniatur. Spero Deum, qui semper mihi adfuit, et in hoc extremo tempore sua misericordia adfuturum. Vale, et me ut soles ama. Scis Poggium tuum esse, ejus rebus ut tuis utaris licet: id facies mihi gratissimum, si ad me saepius scripseris. VII Kalendas Septembris.

EPISTOLA XIV.

Poggius pl. sal. dicit Petro de Noxeto V. C.

Si vales, tuique recte valent, bene est: ego quidem et familia mea bene valemus. Quidam plebanus ita mihi amicus, ut amicitior esse non posset, habet plebem valde tenuem, tum propter fructuum exilitatem, tum propter onera, ut nosti beneficiis nostris quotidie incumbentia. Is etiam meo suasu optat dispensari, ut una cum sua plebe et aliquod beneficium curatum obtinere possit. Non est doctor, sed ita prudens, et in reparando suo beneficio expertus, quod ex nihilo aliquid reddidit, ut alterius beneficii cura sibi bona conscientia committi possit. Rogo te igitur pro nostra amicitia, ut S. D. Nostro supplices ex parte mea non secus ac si pro me ipso supplicares, ut cum isto dispensare dignetur, ut cum plebe sua aliquam parochialem Ecclesiam possit tenere. Quare Dieciajutus dabit tibi supplicationem, quem de his, quae ad hoc spectant, reddidi per meas litteras certiorem. Polliceor tibi hanc gratiam positurum apud hominem benemeritum, et gratum, et in reficiendis beneficiis exercitatum. Veruntamen non te penes alium, sed penes Poggium tuum hoc beneficium collocaturum puta. Vale, et me ama ut soles.

EPISTOLA XV.

Poggius pl. sal. dicit Petro de Noxeto V. C.

Scis, mi Petre, boni viri officium esse magis conservandae dignitatis curam habere, quam pecuniae cumulandae; altera enim res ne mortuis quidem eripi potest, altera persaepe aufertur a vivis. Enim vero bene se res habet, cum dignitas eum ornat hominem, qui sua auctoritate dignitati est ornamento; aliter, ut Cicero noster inquit, cum dignitas ad indignum defertur, non cohonestatur homo, sed dignitas inquinatur. Quorsum inquies hoc tam alte petitum probemium spectat? Ut tibi, si potero, persuadeam, ut nostri officii dignitatem, cujus tu quidem caput es, et cujus tutela a te uno dependet, tibi pro communi honore tuendam, et conservandam putes, omnique cura et diligentia nitaris ne adeo vulgetur, ut tanquam meretrix expositam communi libidini videatur. Intellexi ex pluribus litteris, quae mihi ex Curia redditae sunt, nonnullos esse a Domino Nostro tanquam designatos secretarios, quorum in numero dicitur esse Laurentius Valla, et id opera importunissimi hominis Joannis Arretini, de cujus vita plura scriberem, quam de Valla. Materia est enim copiosior, nisi deterreret me reverentia Sanctissimi Domini Nostri, qui se forsan jure laesum iri putaret, si hominem adeo sibi domesticum a somno et tenebris excitarem.

Quoniam tum res parata est, tum paratior voluntas, et mihi crede *m' abonderebbe tema.* Sed quid Pontificem movet ad dandum adeo omnibus, ne dicam spargendum officium nostrum? Numquid secretariorum inopia? Numquid eorum quos habet inscitia? Numquid plena copia cornu? Numquid Curiae ornatus aut dignitas? Numquid moles agendorum novos operarios in vineam uvis ac pampino desertam requirit? Scio Dominum Nostrum virum esse sapientem; sed nimis credere aliquando petentium molestiae et importunitati. Insta igitur opportune, et importune hortare; obsecra Pontificem, ut rationem habeat primum honoris sui, tum officii personarum Curiae, tum eorum, qui illud postulant facultatis, utque integram communem hanc nostram dignitatem conservet. Quid ad te hoc, forsan inquies, qui longe abes, nunquam fortassis ad Curiam rediturus? Honor primum officii me movet, quod haberi solitum est summa indignitate atque auctoritate, quarum gaudeo me participem esse; tum hominum existimatio, apud quos plurimi ea dignitas reputatur, quae non consuevit conferri passim omni postulanti, praeterea ornamentum vitae, quod est minime repudiandum; tum ratio patrocinii, quo id officium multis prodesse consuevit, quae mihi omnia quoad vita supererit, omni ope censeo esse tuenda, ne si quando animus esset Curiam videndi, interclausam mihi tanquam sentibus viam cernerem, mihique necessario voluntas, ne cum tali fece hominum versarer, redeundi

praecideretur. Fecit jam Dominus noster novos Secretarios Philelphum, et Guinifortem Bergamensem, quibus si plures adderentur, eam cohortem praetoriam, vel derisoriam potius constitueremus, expositam multorum dicacitati. Quapropter obvia ambitioni et importunitati, ne dicam stultitiae eorum, qui in tempestatibus quaestum sibi facere conantur. Loquare cum Pontifice diligentius ut soles, neque tibi contemnendam arbitreris eam dignitatem, in qua plures doctissimi viri et sapientissimi fuerunt. Ego tamen quicquid futurum sit vacabo studiis nostris, et opus, quod est in manibus, perficiam si facultas erit. Unum tamen jam librum absolvi, qui est de miseria conditionis humanae (1), in quo et secundo, quem e vestigio aggrediar, acuam calamum ad maledicendum multis, et ipsis etiam Pontificibus, quae res forsan erit mihi quaestus uberrimus. Nam postquam video Vallam, qui semper in obloquendo, et detrahendo tum mortuis doctissimis ac sanctissimis viris, tum etiam vivis aetatem, animum, vitam consumpsit, ex maledictis pecuniam et dignitatem esse consecutum; Philelphum quoque propter nescio quod Satyrarum volumen in maledicendo consumptum

(1) Fructus primus literariorum laborum Poggii post reditum suum in patriam fuit Dialogus sub titulo — De miseria humanae conditionis — in quo refert confabulationem quamdam, quam cum clarissimis viris Matthaeo Palmierio et Cosmo de Medicis antea habuerat. Fere labores omnes atque infortunia mortalium mirabili ordine ac doctrina recenset, et vitae humanae dolores, narratione commovendis animis apta, mirabiliter repraesentantur. Deinde multa ac gravia praecepta obfert fortitudinis, aequanimitatis et patientiae, et ante omnia hominem docet in affectibus dominandis. In hoc etiam opere hypocritas acerrime reprehendit. Illud dedicavit Sigismundo Malatestae Arimini dominatori et duci Florentini exercitus.

quingentis aureis a Pontifice donatum; et ego quoque illorum instar experiar, si quid in eo scribendi genere possim, ea spe, ut mihi etiam ex maledictis aliquod praemium detur. Est enim utile peccare, ubi vitia conspicias prodesse. Si mihi spes successerit gaudebo; sin vero minus contentus ero scriptura mea, quae forsan alicui aliquando placebit. Haec scripsi paulum animo ex rerum indignitate commotior. Vale, et me Pontifici commenda, et quid factum, futurumve sit paucis ad me scribas oro. Laetor te expedivisse litteras meas, et tibi ex hoc opere gratias ago.

EPISTOLA XVI.

Poggius pl. sal. dicit Episcopo Mutinensi.

Quotiescumque, mi pater reverende, caseus tuus in epulis, quod saepius contingit, apponitur, totiens tui muneris in mentem venit. Nam si rerum, quae ad ornatum spectant exteriora dona solent esse grata, nobis quanto gratiora illa esse decet, quae pertinent ad victum, in quo gustus suavitas continetur? Sed gratissima ea sunt, quae in tempus longius conservantur, cum saepius eorum memoria repraesentetur nobis. Quamvis autem dudum gratias egerim litteris tuae liberalitati; tamen quotidie tibi, et animo, et cogitatione novas gratias ago, quoniam munus fuit egregium, et summa dignum commendatione. Nunc ob recentem illius memoriam (hodie namque

in mensae certamen descendit) non possum non laudare munificentiam tuam, quae cum omnes domesticos saepissime oblectet, pro sua quisque portiuncula te extollit, tibi salutem exoptat, et sospitatem. Haec ad te scripsi paucis, non ut futura praeveniam aliqua cogitatione, sed ut tecum jocer epistola, posteaquam verbis facultas non datur. Sumpsi enim ex hoc tuo munere argumentum epistolae ad ostendendum te beneficium apud gratum hominem, in eo quod potest, et tui memorem collocasse. Vale, et me ut soles ama, atque aliquid rescribe, ut sciam has tibi litteras redditas esse. Florentiae die 11 Septembris.

EPISTOLA XVII.

Poggius pl. sal. dicit D. L. Sedis Apostolicae Prothonotario, Gubernatori Civitatis Castelli.

Scio memoria te tenere, pater et domine mi carissime, me, dum Florentiam redirem, commendasse tibi Ludovicum Luce et ejus fratrem, quibus cum olim mihi vetus consuetudo fuerat, ut tua intercessione et ope in urbem propriam reverterentur; qua in re tua humanitas mihi suam operam pollicita est. Scis enim brevissimam horam festinanti videri longissimam. Quid putas multorum annorum curricula huic afferre molestiae ac sollicitudinis in patriam redire cupienti? De me ipso conjecturam facio, et existimo ejusmodi curas et sollicitudines molestas et acerbas esse, et illis

praesertim, qui absque culpa injuriam patiuntur. Ego si possem, huic viro auxilium ferrem, ad quod et humanitas et boni viri officium me hortantur. Sed postquam id quod cuperem nequeo, ad te tanquam ad me alterum recurro, quem scio non minori diligentia quam me ipsum, quae desidero esse facturum. Te igitur per tuam in me benivolentiam singularem majorem in modum rogo, ut si rem gratam facere mihi cupis, hanc Ludovici et fratris causam suscipias, tua opera et diligentia conficiendam. Interpone, te oro, studium et auctoritatem tuam cum prioribus et cum quibus opus tibi videbitur pro istorum restitutione. Et si opus fuerit, et ad rem aliquid conferre videbitur, eos, quos judicaveris prodesse posse, meo nomine rogato, ut humanitate et benignitate uti velint; quod erit ita gratum mihi, ut nihil gratius possint facere. Tu autem ita istis tuo consilio, favore, auxilio in hac re consequenda opituleris, ut mihi ex mea intercessione, et tua opera merito gratias agere teneantur. Vale, et me ut soles ama. Florentiae Kalendis Novembris.

EPISTOLA XVIII.

Poggius pl. sal. dicit Domino Nicolao Prothonotario Gubernatori Civitatis Castelli.

Ago tibi gratias quas possum, carissime pater, pro singulari beneficio, quod ad preces meas impendisti in restitutione Ludovici in patriam suam.

Est mihi grata reversio sua, sed multo gratior est benivolentia, quam erga me ostendis in his rebus, quas conspicias mihi esse cordi. Dulce est, et commendatione dignum serere beneficium, ut fructum fidei possis metere. Scribo Ludovico, ut ita se habeat, ut suus reditus sit omnibus carus; et eum ego tibi commendo, ut non solum restitutus tuo beneficio videatur, sed etiam ornatus. Vale, et si qua in re opera mea tibi opus esset, utaris velim Poggio ut homine tibi deditissimo; dicerem amico, si eo verbo inter dispares gradus homines uti possent.

EPISTOLA XIX.

Poggius sal. dicit pl. Nicolao Papae V.

Vellem aliquid posse litteris mandare, Beatissime Pater, quo tuae benignitati persuaderem, ne mei memoriam deponeres, prout multorum mos est, qui parvam habent absentium rationem: sed nullum occurrit scribendi argumentum, ita rerum, verborum et sententiarum inops sum factus. Neque de rebus publicis scribere possum, neque in privatis volo tibi esse molestus, quas in commodius tempus reservo. Illud mihi superest, ut te orem atque obsecrem, ut aliquando in mentem veniat Poggii tui eamque, erga me benivolentiam benignitatemque conserves, quam bonis quondam optimisque coeptam principiis, diutius non conservasti solum, sed etiam multis tuis in me meritis

auxisti. Similitudo enim studiorum morumque nos consuetudine primum, tum mutua benivolentia devinxit; neque vero mercede aliqua, aut quaestu nostra consuetudo contracta est, sed litterarum studiis et bonarum artium disciplina, ut certe confidam, ita radices suas fixisse altius tuam in me charitatem, ut nullo neque tempore neque vento convelli possit. Hoc ego ita mihi persuasi; tuae nunc est sapientiae id agere, ne frustra videar mihi persuasisse. Verum ne mihi defuisse videar, scis duo mihi Tuam Sanctitatem, pro summa ejus humanitate, pollicitam esse; utriusque debitum a te exigo, cum tempus erit, ut simul et honori meo consulatur, et ne videar a te dejectus, aut destitutus. Domesticae insuper quieti provideas oro, qua saepius careo uxoris molestia pro patre et fratre intercedentis, meque culpantis negligentiae, ut qui ei videar remissior in petendo. Non credunt has importunas vexationes, qui non norunt, neque sunt experti. At Petrus noster Secretarius tuus mihi testis optimus esse potest, quem te oro testem cites, cum de meis postulatis fueris acturus. Recommendo me Sanctitati tuae, quam incolumem conservet Altissimus. Florentiae.

EPISTOLA XX.

Poggius pl. sal. dicit Reverendo Patri meo Domino P. Episcopo Brixiensi.

Cum saepius ad te scribere cogitarem, ut aliqua ex parte satisfacerem amicitiae nostrae, nihil sane occurrebat te dignum: obstrepere autem tibi verbis inanibus, tum puerile, tum stultum videbatur. Sed stultius fore putabam semper tecum tacere, sinereque nostram amicitiam, jamdudum bonarum artium studiis contractam, ignavia quadam obsolescere. Itaque visum est rectius esse inanes quam nullas ad te litteras dare, et malle a te imprudentiam culpari meam, quam taciturnitatem. Sit ergo hujus epistolae argumentum me cum omni familia recte valere, quod idem si tibi sit, summe gaudeo. Est enim bona valitudo caeteris fortunae bonis anteponenda, sine qua non intelligo, quid conferant reliqua, quantumvis ampla, ad quae se vota hominum extendunt. Ob eam rem plurimum temporis impertior in ea conservanda. Offendunt enim senectutem, ut nosti, etiam minima incommoda, quae nostra magis aetas sentit, quam juniorum: hoc ipsum suadeo tibi esse faciendum, ut scilicet des operam sedulo ut recte valeas, quo, et animus sit liberior ad studia litterarum, et aptior ad res gerendas. Non scribo de miseria temporum, in quibus versamur, quoniam paucis haec res agi non posset. Nam et

multi et multa mihi culpanda essent in tam communi omnium stultitia, ne dicam perfidia: satius forsan esset eorum oblivisci, et se fatis permittere, quam narrando augere dolorem, praesertim ubi nihil sis profuturus. Vale, et me ut soles ama. Florentiae.

EPISTOLA XXI.

Poggius Secretarius, et Cancellarius Florentinus Nicolao Perotto.

Democritus Abderites adeo ob publicam hominum stultitiam ridere solitus erat, ut cum suis civibus demens esse videretur, accersitus ad ejus curam Ipocrates Chius retulerit Democritum virum non stultum, sed sapientissimum esse. Socratem quoque legimus a quodam petulantissimo adolescente pugno percussum, hortantibus qui aderant ad ultionem, quaesisse, numquid si asinus quispiam eos calce laesisset, essent asino calcem reddituri. Virum optimum ac doctissimum Colucium Salutatum audivi dicentem, summae dementiae esse, si quem canis rabidus momordisset, illum morsibus ulcisci. Itidem ego ut Democritus insaniam tuam, ut Socrates Lascivientem asellum ac petulantem, ut Colucius sentiebat catuli rabidi morsus ridebo, despiciam, et contemnam. Ut vero Cretenses olim eum, quem oderant, optabant mala consuetudine delectari, id maximum supplicium aestimantes, sic ego Deum ultorem rogo, ut in

hac quam coepisti male scribendi formula deleteris: summa tua fortuna fuit turpitudinem ac malitiam plus quam honestatem apud multos in praetio esse. Non si viribus Herculis essem tot hominum monstra, quot hodie undique pullulare videmus, mihi sumerem perdomanda. Haec ad praesens tuae scurrilitati, dicacitatique responsa sint: futura temporibus parebunt. Florentiae.

EPISTOLA XXII.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco Ferrariensi.

Redditae sunt mihi tuae litterae, mi Francisce, quae mihi fuerunt majorem in modum gratae, tum quia plenae officiosi consilii erant, tum quia summam tuam erga me benivolentiam ostendebant. Ut autem complectar priorem epistolae partem, miseram dudum ad Urbem pro Diodoro, quem tibi relinqueram, ut qui hic erant admodum mendosi corrigerentur. Cum vero postea librum ad Urbem remitterem una cum Xenophonte, qui ambo a me postulabantur, in itinere perditi sunt. Dabo tamen operam, ut liber scribatur, cum primum scriptorem invenero paulo doctiorem, et id brevi futurum puto. Quas vero litteras hac de re ad me scripseris, non recordor; jamdudum enim nihil accepi a te litterarum. Quod vero mihi amice suades, ut contemnam insaniam furentis illius bestiolae, quae adeo acerbe contra me latravit,

nulla mea incuria provocatus, uteris officio boni viri, cujus est stultorum improbitatem atque impetus contemnere. Itaque parui adhuc consilio tuo, respondique illi paucis verbis, prout intelliges ex exemplari epistolae, quod ad te mitto. Maxima non solum stultorum, sed insanorum copia est, qui omnes lasciviunt ex nimia indulgentia Sacerdotum. Laurentius Valla ob ejus stultam protervíam et insanos mores ab rege Aragonum olim repudiatus, rejectus, repulsus, confugit tandem ad pabula Romanae Curiae, in quibus multa portenta saepe non solum nutriuntur, sed saginantur. Sunt enim plures, qui more principum magis pro voluntate quam ratione stultitiae favent. Hic vero poeta novellus insulsissimus cathamita, cui magis corporis, quam ullius virtutis quaestus et turpitudo opitulata est, Laurentii discipulus, non suo praesidio, sed superiorum favore, et sui similium loquacitate confisus, in me prosiluit, ut Laurentianis canibus satisfaceret. Ego tamen parvifacio, et illius lascivientis scurrae maledicta, et totius illius scholae, ex qua nil purum, nil sincerum, nil laudabile, nil non turpe et flagitiosum prodire potest; scurrilitatem ac insolentiam contemno; magis autem rugiens ille, vel pedens potius asellus, suam dementiam ostentat, quam ullum erratum meum. Male quidem mecum ageretur, si mea laus et vitae integritas tot principibus et excellentibus viris nota, ab nescio quo mordaci pediculo labefactari posset. Ego ita ad hanc diem vixi, ut nihil verear nescio quas molestas cicadas.

quarum voces magis auctorum mores redoleant, quam afferant ullam culpam, quae mihi possit haerere. Contemnam ergo ad praesens rabidas, et ad lunam latrantis caniculi voces: quid deinceps facturus sim, nescio. Non enim magni laboris erit, aut multi negotii retundere nequitiam spurcissimi pusionis. Quod me hortaris amicissime ad studia meliora, in quibus aetas mea versari debet, obtemperabo voluntati tuae. Mirum est quosdam ex his semigraeculis mihi nescio quod bellum indixisse. Levitatem enim et garrulitatem, et si quid vitiorum in illa natione est, didicisse, auxisse, percepisse videntur, ut mihi aliquando satius futurum fuisse videatur illorum carere doctrina, quam cum nescio quibus litteris nonnullos tam leves, tam malos, tam dicaces, tam improbos evasisse, omni carentes virtute. Non tamen bonarum artium ea culpa est, sed perversae naturae eorum, in quibus etiam bonum semen in malam messem verti necesse est, cum mala quidem arbor nunquam possit producere fructus bonos. Vale, et me, ut soles ama, meque domino meo Episcopo Ferrariensi intimis verbis commenda, et cum eo rideas hanc insanam petulantiam nonnullorum.

EPISTOLA XXIII.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo Ghiselardo.

Rogo te majorem in modum, ut memineris uae pollicitationis, quae fuit mittendi ad me iescio quam epistolam, in qua vesanus cathamita Nicolaus Perottus me nominabat absque decore, ıt asserebas; hanc ego pluribus ex causis cupio idere, propterea illam ad me mittas oro. Pusio lle, ut magistri stultitiam ac malitiam superaret, ırosiluit in me magno impetu, cujus ego verba ıon plus quam ranae coaxantis vocem existimo. Respondi ei paucissimis verbis, quoniam majoribus n rebus, quam in castigando asello petulantissimo ıcium meum mihi statui consumendum. Quanquam tempora consilium dabunt. Copiam litterarum mearum his inclusam ad te mitto. Vale, et pistolam illam, sive quid aliud sit, in quo me ıupugit, cura ut habeam quamprimum, et mihi esponde. Florentiae.

EPISTOLA XXIV.

Poggius pl. sal. dicit Alberto Parisio Bononiensi.

Gaudeo mi Alberte, et summe laetor, cum ideo adhuc superesse, qui linguam Latinam sua int doctrina, et eloquentia ornaturi. Amisimus ummos certe, et eloquentissimos viros, qui

nomini nostro magnam gloriam attulerunt, alios vero, qui eis in eadem laude succederent, paucos conspiciebam. Dolebam sane non surgere, atque eminere aliquos, qui restituerent, aut conservarent eloquentiam jam pene extintam. Neminem enim videbam, ex junioribus loquor, quos quidem noverim, paucis exceptis, in quo aliquod specimen eloquentiae, aut virtutis signa apparerent, arrogantes, praesumptuosos, impudentes elatos, insolentes plures conspiciebam, quorum sub doctrinae simulatione natura immanis, mores improbandi, multa vitia laterent; ut execranda potius, quam aliqua ex parte laudanda ea ingenia viderentur, quae tam procul essent a virtutis familiaritate. Nam vero paulum consolatus sum, et cum a te, et Bartholomaeo Ghiselardo litterae mihi redditae fuerint scriptae admodum eleganter, verbisque ornatis, et sententiis gravibus refertae, coepi persuadere mihi non esse omnino humanitatis, et eloquentiae studia peritura. Video enim vobis ea dicendi semina inesse, quae si adoleverint, confidam majorum nostrorum vos laudem repraesentaturos. Quamobrem te etiam atque etiam hortor, ut prosequaris eloquentiae studia, et virtutis, neque ex his sis, qui cum sibi per summam stultitiam persuaserint, se doctissimos atque eloquentissimos esse, neque ad doctrinam ullam, neque ad eloquentiam pervenerunt. Neque vero miror plures esse perverso judicio aetate nostra, eisque insulsa, arida, inepta, stolida placere. Nam infirmo gustui bona displicent, cum etiam Ciceronis eloquentia a

multis fuerit improbata, qui magis sibi Asiaticam, quam se assequi posse confidebant, quam Atticam eloquentiam, quam desperabant, placere asseverarent. Nihil stultius, nihil insulsius, nihil inelegantius, nihil barbarius, nihil deterius, quam scripta Laurentii Vallae, cujus dicta fugias tanquam pessimi heretici, et a fide aberrantis: insipide praeterea, pueriliter, absurde, inepte, inconcinne velut infans loquitur; attamen nonnullos stultos et dementes sui similes laudatores invenit, et inprimis poetam nostrum novellum absque ulla poesi, non laureatum sed larvatum Nicolaum Perottum pessimum Cathamitam. Te vero nihil delectet, nisi eloquens, tersum, elegans, politum, in quo elegantia sit conjuncta prudentiae. Lege inprimis Ciceronem nostrum, Lactantium, Livium, Sallustium, Justinum, Q. Curtium, reliquosque, quos audis vulgo ab omnibus comprobari. Nam communis de viris doctis opinio raro fallitur. Si qui stulti unum, aut alium laudant, contemnas stultorum judicium, et tibi potius crede recta sentienti, quam his novellis male judicantibus portentis, quorum scripta cito arescent. Non enim nostra de nobis, sed doctorum virorum judicia nobis gloriam et laudem largientur. Incumbas igitur te hortor omni ope et diligentia bonarum artium studiis, ut coepisti, nec minor tibi sit virtutis, quam litterarum cura, quoniam pluris quam caetera omnia aestimanda est. Quae est enim nescio quae inanis eloquentiae jactatio, quam in spurcissimo pediculo Perotto videmus

vitiis, et vitae turpitudini conjuncta? Quanquam de eo, cum otium se dabit, quod nunc melioribus rebus consumi volo, erit copiosor disserendi locus. quem ita exagitabo, ut nisi dementissimus sit futurus, poeniteat se tam petulantem, ac furibundum in evomenda vesania fuisse. Quod vero meam petis amicitiam, verbis tibi Ciceronis nostri respondebo, qui in epistola quadam ait, nil minus sibi esse hominis videri, quam non respondere in amore iis, a quibus provoceris. Ego ne dum tibi amicus esse velim viro docto, et eloquenti, sed tibi gratias ago, quod me ad amicitiam tuis suavissimis litteris provocasti. Non enim parvi aestimandum est diligi a multis. Id enim signum boni viri Plato scriptum reliquit, multos scilicet habere amicos. Itaque deinceps sive epistolarum officio, sive obsequio, quoad facultas erit, conabor respondere benivolentiae in me tuae, et te ut filium omni charitate complectar. Dignus es etenim amari, cum magnae sit virtutis indicium eorum, de quibus bene existimes amicitiam quaerere. Quod vero epistolas meas appetis, libenter satisfacerem desiderio, si facultas esset; sed Romae sunt, quas tamen prope diem expecto, quoniam jussi eas ad me deferri. Cum illas habuero te faciam certiorem. Vale, et me ut coepisti ama. Has litteras communicabo cum viro doctissimo meique amicissimo Bornio nostro, cui verbis meis salutem dicas. Florentiae.

EPISTOLA XXV.

Poggius pl. sal. dicit Joanni Arretino V. C.

Ago tibi gratias, mi Joannes, quod tuis humanissimis litteris me maximo angore animi liberasti. Eram certe paulum tibi, et immerenti ut video, subiratus: credo enim plus verbis tuis, quibus mecum summa cum benivolentia uteris, quam aut conjecturae, aut cuivis alteri, qui forsan inter nos discidium vellet; sed tamen commotionis in te meae initium omne profectum est a spurcissimo cathamita Nicolao Perotto, qui fuit Vallae discipulus ita illius imitator, ut nihil ab eo neque insania, neque arrogantia, neque impudentia, neque scurrilitate differat, sed alter Valla amentia et nequitia esse videatur; quod ut plane referam, necesse est ut causam meae indignationis paulo altius repetatur. Scis contentionem, quae inter me dudum, et Laurentium Vallam fuit, non a me, sed a sua proterva dicacitate profectam: cujus jam penitus oblitus eram, atque ea, quae post recessum meum scripsit, et edidit, contempseram ut verba furentis hominis atque fanatici. Vacabam quippe melioribus studiis, et docto homine dignioribus; quieto, Deum testor, eram animo senectutem meam in otio honesto et non omnino inerudito homini accomodato cupiens collocare: cum interim ad me affertur exemplar epistolae cujusdam, quam infamis ille quondam pusio

adversum me scripserat in excusationem et laudem Laurentii Vallae. Exarsi, mihi crede, paulo vehementius quam deceat sapientem virum, conspiciens illud monstrum infandum nulla in re, dicto, aut facto a me lacessitum, tam petulanter, tam sordide suam contra me nequitiam edidisse. Eodem ferme tempore te Laurentio favere intellexi in assequenda dignitate, ad quam diutius inhiavit. Visum est mihi quamdam conjurationem detestandam contra me per canes Laurentianos factam. Neque tunc rabidi caniculi ad lunam latrantis verba tam magnifeci, quam tibi succensui tanquam Laurentii fautori, qui in eadem esse culpa videreris. Illam tamen infamem bestiolam alieno pastu et favore insanientem non relinquam inultam, si ocium suppeditabit. Motus ergo, tum litteris quae mihi a Curia allatae sunt, tum a nequissimo furunculo provocatus, scribens ad praestantissimum virum mihique amicissimum Petrum de Noxeto pro dignitate nostri officii conservanda, addidi aliqua contra te referens animum ad injuriam illius mordacissimi pediculi Nicolai. Si qua tunc scripsi acrius quam vellem, at quam tua in me benivolentia postularet, culpam conjicito omnem, non in poetam, sed impetum illius male olentis aselli. Sed vide quanta sit virtus humanitatis, ac prudentiae. Si qua in re vel me etiam laesisses; si cui contra meam voluntatem favisses; si cui te patronum in meam contumeliam praebuisses, tanta est tuarum litterarum suavitas summae charitati conjuncta, ut

tuorum verborum tanquam Amphionis Cytharae jucunditate motus, tibi omnes injurias, si quae a te profectae essent, remitterem, omniumque oblivliscerer simultatum. Ego te, mi Joannes, semper dilexi, meque a te diligi mihi persuasi, tuisque rebus secundis, ut tu ipse testis esse potes, non secus ac meis sum laetatus, semperque plurimi feci amicitiam tuam, ut ne dum contra tuum nomen scriberem, sed adversus scribentes pro tua laude pugnarem. Scis iram procul ab omni consilio esse, quae tamen ipsa quanquam justis ex causis excitatur. Neque vero a te pet[illegible] ut non pro tuo arbitrio laudes quos velis, neq[illegible]hibeo quin tuo more gratus sis omnibus; [illegible]m tibi cujusvis hominis consuetudinem interdico, neque veto quominus iis faveas, quos aliqua virtus nobilitavit. Stultus nimium essem, si tibi praescriberem, quatenus a te aliquis amandus esset, aut postularem ut quempiam propter me odisses. Esse vero in Curia doctissimos viros, et traductioni litterarum Graecarum aptissimos summe laetor: copiosiorem enim efficient Linguam Latinam, quos si amas, fungeris officio boni viri, idque ego summe in te laudo. Si enim quos nunquam vidimus etiam diligimus propter eorum virtutem, quanto majori affectione esse debemus erga illos, quos praesentes conspicimus, quibus cum loquimur, quorum doctrina et moribus meliores sumus? Ego sane te hortor, ut tales viros omni benivolentia complectaris. Est enim vel maximum bonitatis signum bonos diligere ac sequi. Quod ad

Laurentium vero attinet, efferas illum, atque extollas quantum libet: scio enim illum more simiae quo altius ascenderit, eo apertius nates et pudenda aspicientibus ostensurum. Multorum latent vitia, dum in humili loco jacent: ubi vero tanquam in basi sublimius eriguntur, apparere necesse est, quae antea in obscuro vitia occulta erant. Multa, quae in tuam excusationem narras, praetereo: non enim cum mihi probata sint, ullam responsionem requirunt. Delenda est enim ex animo omnis si qua praeteritorum rugo suborta forsitan inter nos fuisset, et prior est in usum amicit[illegible]ocanda. Quod vero scribis te saepius honori[illegible] de me cum Pontifice fuisse locutum, et plura in meam dixisse commendationem, id nullo meo merito, sed tua humanitate scio abs te factum esse, deque eo tibi gratias ago, et ut itidem in futurum agas rogo. Unum scias ex me; prout scis volo non nostra tempora, sed futura de nobis, nostrisque ingeniis, quae procul ab omni invidia remota erunt, judicatura; neque ego si quid dignum laude agerem praesentis aetatis mercedem expecto, sed futurae. Vale, et me ama. Exemplar epistolae Nicolai Perotti insulsissimi pedagoguli, ut videas si juste commotus sum, ad te legendam mitto, quam cum legeris, in ignem projicias volo. Florentiae.

EPISTOLA XXVI.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Sancti Angeli.

Reverendissime in Christo pater, et domine mi singularissime. Displicet mihi verum evasisse quod scripsi vobis; Urbem scilicet non esse locum accomodatum componendae paci, et Regem Aragonum illam nolle, et multos fautores habiturum esse in Curia; neque hoc scripsi tanquam divinator, sed qui noscerem naturam rerum, et hominum; neque dubito si Bononiae, aut Ferrariae pax tractata fuisset, alium finem fuisse habituram. Bonum esse aliquando fidem praebere verbis inferiorum, neque tantum sibi fidere, ut caeterorum consilio non detur locus. Vellem ut Dominum noster Sanctissimus potius non sumpsisset hoc onus, quam susceptum reliquisset absque ulla perfectione. Quod non sine admiratione multorum contigit, quamvis nulla culpa resideat in eo, sed in regis ambitione, quae a Domino nostro ferenda est, licet non probanda. Non fuit voluntas Dei ut pace frueremur; finis erit, quem fata dabunt, quisquis is sit futurus. Recommendo me dominationi tuae, rogoque ut me recommendas Sanctissimo Domino nostro. Florentiae.

EPISTOLA XXVII.

Poggius pl. sal. dicit Ludovico Petronio Equiti Senens.

Ago tibi gratias quas possum pro tuis humanissimis litteris, quas legi summa cum voluptate. Amicitiam tuam caram habeo ut hominis jamdudum mihi cogniti, et multa benivolentia conjuncti. Ego semper unice dilexi viros doctos, et eloquentia excellentes, et cum in te videam doctrinae virtutem esse conjunctam, quae cum in te eluceant, te semper toto animo sum complexus. Quod mihi gratularis de officio assumpto, facis amice, quod eum mihi jucundum sit, ut qui jam laboribus itinerum sim positurus finem: tamen jucundius est liberalitas, et benivolentia civium, qui me sua sponte nulla mea intercessione elegerunt. Ut sicut Cicero inquit, si minima maximis licet componere, videar humeris reipublicae in patriam reportatum. Nam summo favore, summo omnium plausu sum exceptus: hoc ob eam rem scribo, ut aliquid addam gratulationi. Ego tuus sum, et cupio aliquid tuo commodo accidere, quo meum in te animum perspicere queas; vincam ipse in opere aestimationem tuam. Vale. Florentiae.

EPISTOLA XXVIII.

Poggius pl. sal. dicit Rinuccio suo V. cl.

Vellem, mi Rinucci, ut ea in tuis litteris continerentur, quibus jucundo animo respondere possem, et tecum nostro more jocari. Sed in hac temporum perturbatione utendum prudentia est, et aequo animo ferenda quae mutari non possunt. Omne consilium ex tempore sumendum est, cui parere, ut inquit Cicero, semper sapientis est habitum. Aegre tamen fero hanc tantam rerum mutationem, quam forsan dies, aut mutabit, aut mitigabit. Tu, ut absque molestia aetatem agas, refer te ad studia litterarum, quae te instruent et docebunt omnia tempora de sua aetate fuisse conquesta, neque recusandum quominus comuni conditione vivamus. Videbor tibi forsan nimium philosophari, et ego ipse si isthic essem, qui tibi consulo, alterius consilio egerem. Vale, et me ut soles ama. Saluta socios antiquos verbis meis, dicasque me optare, ut recte valeant. Florentiae.

EPISTOLA XXIX.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo Ghiselardo Bononiensi.

Recepi tuas litteras mihi quidem jucundissimas, et una orationes meas in Vallam, quas tamen

abest ut mihi displiceat tardiuscule a te remissas. ut etiam te culpem, quod eas remiseris tam cito. Cupio enim has vulgari ut nota fiat insania illius asini petulantis communis doctorum omnium detractoris. Vide quam perversa ac facinorosa sit illius natura, nunquam desistit ab excellentium virorum objurgatione! etiam anno praeterito dum Romae essem, cum Virgilium, et Ciceronis ad Herennium libros legeret, utrumque acriter quotidie reprehendebat; alterum ut parum consideratum poëtam ac politum; alterum ut in arte, et dicendi praeceptis aberrantem, quo nullum majus, fanaticus ille, dementiae et insaniae vestigium edere potuisset: se autem ita jactabat, ut omnibus antiquis scriptoribus anteponeret: eò autem stultitiae progreditur, ut se palam dicat M. Varrone doctiorem, quem scis adeo a Cicerone non solum laudari, sed etiam a Beato Augustino, ut in nullum majores laudes conferri possint. Itaque opus esset non verbis, sed fustibus, et clava Herculis ad hoc monstrum perdomandum, et discipulos suos, inter quos stultitia, temeritate, jactantia eminet crinitus vates vester Nicolaus Perottus, quem aliquando displicet ita leviter exagitasse. Sed alias, si causam dabit, utar graviori medela, quam elaboro ad purgandam levissimi cerebelli insaniam. Vellem igitur has orationes omnibus esse notas. Scio Perottum nostrum meam in eum laudatiunculam, ut in multis, et praesertim in Latinis aberrantem reprehensurum, in quo nullum responsum a me

feret: aut enim Linguae Latinae non omnino ignarus sum, aut jam minime tempus est amplius in hac aetate discendi: quanquam si ocium esset cum his prodigiis de verbis Latinis disserendis, ostenderem Pe[illegible]tum et magistrum suum plane procul esse ab ea doctrina, in qua alios reprehendunt. Sed reservo hanc provinciam in id tempus, cum in manus meas venerint suae traductiones, quarum particulam legi Romae satis insulsam, ac in multis labentem, et a Linguae Latinae proprietate deviantem. Bartholomaeus Facius vir eloquentissimus unico libello errores compressus est Laurentii Vallae, quibus replevit nescio quam historiunculam ineptam, quam de vita Regis Aragonum conscripsit. Hujus errata tot sunt, ut pluribus libellis essent exprimenda: dixit lascivissimus ille pusio me tanquam exossatum, enervatum, et exquamatum jacere. Miror cum non scripserit me, et mortuum, et sepultum, ut spem sibi praecideret me responsurum. Intelliget petulans ille edulus libentius lecturos homines senis exossati orationem, quam enervis adolescentis blaterationes. Audio nescio quam vulpem; non enim novi suppeditare sibi contra me animos, et doctrinam polliceri: dicas ei, quisquis is sit, ne sumat aciem sibi minime necessariam, plurisque faciat benivolentiam meam, quam malivolentiam; doceat virtutem, et eam veram doctrinam arbitretur, quae non sit ab honesto, et decoro disjuncta. Id si faciet, et consulet honori suo, et boni viri officium sequetur. Ego enim in portu

navigo ita firmis ancoris, ut nullus ventorum turbo sit mihi pertimescendus. Vale, et me ut soles ama, ac Bornio nostro, cum eum videris, meis verbis salutem dicito. Florentiae.

EPISTOLA XXX.

Poggius pl. sal. dicit doctissimo viro domino Francisco Marescalco Canonico Ferrariensi, amico optimo.

Legi perlibenter tuas litteras, mi Francisce, quae licet breves sint, summa sunt tamen gravitate refertae. Intelligo probari tibi orationem, qua petulantiae insulsissimi ganeonis Nicolai Perotti, qui in me accerrime invexerat, respondi, laudoque quod eam aliis tradideris legendam, ut comprimatur paulum illa inanis jactantia, qua me ita contumeliose enervem appellat, ac si cum elephanto, aut reguli serpente, non cum infantissimo pedagogulo mihi certamen esset futurum. Superest adhuc satis virium et nervorum adversus omnem impetum illius nequissimae haeresis Laurentianae, quae stultitia, improbitate, jactantia, petulantia plena est. Nam quod jacturam temporis in ea oratione factam quereris, scias parvam illam fuisse, quae potius excitavit ingenium, quam a pristinis studiis avocavit: quo diutius ultionem illatae contumeliae comprimere volebam, eo magis exardescebat ulciscendi fervor, adeo ut tandem erumperet me etiam repugnante. Quod si in maledicendo

perseverabit, castigabo severius insaniam effervescentem. Nunquam nisi bonis jaculis invidiae lacessuntur, quae retundere aliquando haud est improbandum. Librarius qui Diodorum scripserat, cum opus absolvisset, vendidit me inscio nescio cui in Galliam proficiscenti; sed pollicitus est se denuo rescripturum, et id quamprimum. Credo promissum servabit, id si erit, cito ad te mittetur liber. Episcopo Ferrariensi me commenda, dicasque me effectum patremfamilias rusticanum, libenter villicari, ideoque me cupere, si commodum ei esset, ut sua opera haberem unum gallum, et quatuor gallinas patavinas, quod olim impetravi ab Episcopo Spalatensi nuper defuncto. Id ab Episcopo perconteris, si fieri posset, suadeasque, ut inter reliquas impensas non omnino inanes hanc numeret, deque his quae respondet, me facias certiorem. Non scribo hoc ad eum, ne me importunum putet, et haec quoque melius et honestius per interpetrem agi solent, apud quem liberior est si nolis, inficiandi facultas. Vale, et me ut soles ama.

EPISTOLA XXXI.

Poggius pl. sal. dicit Reverendo in Christo Patri, et Domino mei amantissimo D. P. Episcopo Brixiensi.

Jucundissimum mihi fuit, pater optime, ex tuis litteris intelligere te ex provincia, cui triennio praefuisti summa cum omnium laude, benivolentia.

desiderio recessisse, maximoque plausu et commendatione Pontificis esse receptum. Haec mihi maximi videntur aestimanda, cum non vulgi opinioni, sed virtuti, et probitati, prout tibi contingit, tribuuntur. Sunt enim ista ut scis tanquam virtutis umbra a bonis viris, si non petenda, at cum ultro tribuuntur minime repudianda. Nam videntur esse incitamenta quaedam ad bene vivendum, cum sentimus recte a nobis acta laudari, et in praetio esse. Ducimur enim omnes, praesertim bene instituti, aliqua cupiditate gloriae, quae videtur esse praemium nostrorum apud homines meritorum. Omnia tamen haec si ab salute animae abducant improbanda sunt, cum animi ratio sit rebus caeteris praeferenda. Sed nolo tecum philosophari qui es vir sapientissimus, ne videar plus velle sapere quam oportet. Voluptas et cupiditas tecum loquendi (videor enim te praesentem alloqui, cum scribo) me impellit ut sim verbosior quam requirat decorum illud, quo a Cicerone in omni re tantopere laudatur. Ego neque te hortor virum in omni re prudentem ut resideas in Curia, neque ut recedas: ubique enim et litterarum studiis, et virtuti operam dare licet: et ut Ciceroni nostro placet, ea vita eligenda est, in qua possis prodesse quamplurimis, et in qua major campus detur exercendae virtutis; hujus rei judicium tuae prudentiae relinquo. Unum dico, otiam beatam vitam cumulatiorem reddi studiis litterarum, et eam, quae fortunae injuriis quatitur, fortiorem molestiam certe solent auferre. Tu id ages, quod virtus

tua, et anteactae vitae institutio requirit. Id vide, ne spem praetio emas, quod multis jam video contigisse: sed vereor ne sus Minervam. Vale, et scias litteras tuas summam mihi voluptatem attulisse. Haec dictavi in lectulo jacens ob podagrae morbum, qui me jam octo diebus summa molestia affecit: ob eam rem vero, a me tam multis scripta, ne mireris me in adversa valitudine philosophari. Florentiae die XXI Junii 1454.

EPISTOLA XXXII.

Poggius pl. sal. dicit Alberto Parisio V. Cl.

Delectarunt me admodum tuae litterae plenae humanitatis, et benivolentiae, neque tardiuscule, ut ais, mihi rescripsisti, sed satis in tempore. Nam ut Cato prior dicere solebat, satis cito, si satis bene: itaque cum sint ornatae, et graviter scriptae, mihique optime satisfecerint, suo tempore advenerunt, meque affecerunt mirabili quadam animi voluptate. Te libenter res meas legere summi amoris indicium est erga me tui, qui facit, ut etiam ea probes, in quibus mihi ipsi non satisfacio. Sed cum tibi mea tantopere videam placere, dabo operam, ut satisfaciam desiderio tuo. Nam cum epistolae, quas in libros redegi, nuper fuerint ad me ex Urbe delatae, dabo eas cum primum convaluero podagra (enim me domi tenet) alicui librario, qui eas excribat. Commendas meas oratiunculas, quas insania ac stultitia Laurentii Vallae,

et nobilis poetae Nicolai Perotti me scribere coegit. Necesse enim fuit, ut eorum maledictis, et convitiis responderem. Quamvis quidam amici mei satius fuisse futurum putent, contemnere jactabundam illorum dicacitatem. Sed cum aliquando silentium soleat afferre suspicionem, an vera sint quae objiciuntur, decrevi potius injuriam ulcisci, quam dimittere inultam. Nam quae ratio cogebat illum impurum cathamitam ne nutu quidem a me unquam violatum adeo contra me efferri primum epistola, tum oratione? Voluit, opinor, Vallae suo praeceptori gratificari, et simul existimavit mihi verba et sententias ad scribendum deesse. At supersunt quoque plura jacula, quibus eum confodiam, si amplius in tam stultum certamen prodibit. Molestissima est mihi ea provincia, sed tamen est famae, et nomini consulendum. Vulgavit ille impudicus helluo suam adversus me loquacitatem, ut necesse fuerit reprimere os hominis impudentis, et par pari etiam uberiori mensura referre. Quanquam enim nomen meum adeo firmissimis radicibus nititur, ut jam possim, et debeam omnium verbositatem et maledicta vel tacendo spernere; tamen instantibus, et persequentibus saepius est resistendum. Novi enim etiam priscos doctissimos et eloquentissimos viros suis detractoribus respondisse. Quod autem dubitas, an idem Cyrus fuerit, de quo Xenophon et Justinus scribunt, cum diversa sentiant, scias utrumque de eodem scripsisse; sed alterum non ad veritatem historiae, sed ad normam justi imperii, ut refert

Cicero, locutum; alterum historiae veritatem secutum esse. Nam cum Xenophon justi bonique imperantis vitam, mores, bello et pace gesta vellet describere, eum regem sibi desumpsit, qui vir egregius atque insignis fuerit, non quid ille egisset, sed quid justum imperatorem agere deceret in suo opere prosecutus. Pompeius vero Trogus veram historiam amplexus est, ita utrique de eodem diversa tradidere. Sed cum isthic habeas tam egregium, tam doctum poetam, tam in omni re sapidum, in quo arcana Parnasi recondita videntur, miror, cur quaeras ab absente, quod praesens tibi suppeditare potest; nisi forsan Laureae illius folia, quae a capite tam comato pendent, ita omni humore exausta atque arida effecta sunt, ut cerebellum vatis novelli omni viriditate privarint. Vale, et me ama. Florentiae.

EPISTOLA XXXIII.

Poggius pl. sal. dicit Domino Petro de Noxeto.

Mi Petre, quoniam multis nota est amicitia nostra, et tuus amor in me singularis, ideo necesse est ut tibi aliquando molestior sim, quam vellem. Scribo Sanctissimo Domino Nostro prout videbis per copiam praesentibus interclusam. Ego multum obligor huic arti, quae gratiam postulat propter sua in me merita: ideo si volo haberi vir gratus, oportet ut etiam ego pro eorum honore sim non solum solicitus, sed etiam importunus: quamvis

non tantum praeces eorum me movent, quantum loci pietas, cujus ratio habenda est. Rogo autem te quantum possum, ut suadeas Domino Nostro, horterisque ad hanc gratiam concedendam, quae honesta est, et facilis. Nam si obviatur fraudibus satisfactum est legi, quae ad eas repellendas est edita. In hac re, et pietatem praestabis, et mihi facies rem gratissimam. Dieciajutus te super hoc meo nomine solicitabit. Vale, et me ama. Florentiae.

EPISTOLA XXXIV.

Poggius pl. sal. dicit Ludovico Petronio Equestris Ordinis V. Cl.

Recte facis, vir clarissime, laetari ex hac nostra pace, quam Divina Pietas errorum nostrorum miserta concessit nobis: suaviorem certe reddunt eam bellorum discrimina, quae incertus sum magis ne generi hominum noceant, quam prosit amoenitas pacis: quamvis ea tanti sit, ut Silius Italicus scribat: pax optata rerum, quas homini natura dedit, quam deserere bellorum cupiditate stultissimum esse videtur! Etiam si caetera mala cessarent, hoc unum belli tempus affert, quod eos quodam modo disjungit, quos et morum et studiorum similitudo conjunxit. Silentium enim praestat inter amicos, et litterarum consuetudinem aufert, quibus inter absentes maximae amicitiae continetur. Itaque nobis quam

caeteris pax gratior esse debet, qui majorem quam vulgus ex ea percipimus voluptatem. Nam quae major voluptas esse potest, quam colere omni officio amicitiam, quae efficit nostra omnia inter nos esse communia? Jucundissima igitur tum omnibus, tum nobis maxime pax ista esse debet, et Deo gratias agere debemus, qui dissidentium corda ad mutuam concordiam et benivolentiam reduxit. Tu da operam quoad potes, ut magis utilitati vestrae, quam aliorum libidini consulatis. Nulla major miseria esse potest, quam parere, et subditum esse superbiae, atque avaritiae militare, a quorum manibus magis Dei misericordia, quam humana prudentia nostra, liberavit. Vale, et me ama, sciasque, prout credo, tibi jam persuasum esse me tibi esse deditissimum, et observantissimum tui. Florentiae.

EPISTOLA XXXV.

Poggius pl. sal. dicit Alberto Parisio.

Non est quod praecipue respondendum sit tuis litteris, nisi meas epistolas tuo nomine jam scribi coeptas, quas spero me quamprimum esse habiturum, cum librarius in absolvendo pollicitus sit diligentiam suam. Litteras contra me scriptas, et omnem illam Laurentianam conjurationem legi, et despexi non secus atque insanorum voces: mihi pro minimo est, ut judicer ab ejusmodi fece hominum, qui livore, et invidia torquentur.

Contemno similia convitia, et maledicta. Detrahant ergo, obloquantur, et scribant quantum velint; animus est eorum verba spernere, ut quae mihi nulla in re queant obesse. Difficile foret Herculi si reviviscereт, ne dum mihi tot nostri temporis monstra domare. Illum tamen nosse vellem, qui Florentiae scripsit: nam cito errati poeniteret. Sed mirum est, quod haec hominum portenta adeo ad fallendum, fingendum, mentiendum sint prompta ac parata. Vale, et mei memor. Florentiae die XVII Julii 1454.

EPISTOLA XXXVI.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo Ghiselardo.

Antoninus Pius uxori multos esse dicenti, qui de se obloquerentur, animadversionemque postulanti, respondit sapientissime non esse id curandum, cum satis provisum esset ne possent nocere. Hoc a me omnibus detractoribus, maledicis, invidis responsum velim. Latrent, detrahant, obtrectent, sibi morem gerant quantum libet. Id egi in omni vita, ut nulla eorum labes mihi haerere queat: evanescent, et in fumum convertentur jurgia eorum, quibus ipsis plus oberit sua invidia, quam mihi. Est ubique magna improborum copia, et semper virtus in paucis fuit, neque vero haec civitas invidis, aut malivolis caret: felix esset nimium haec aetas, si ejusmodi vitiis esset omnino libera. Sunt multi, qui in plateis laudant, in triviis

rodunt. Legi ea, quae ad me misisti, quae nihil me commoverunt: miror, cur non scripserint plura, ac deteriora. Malo ejusmodi homines detrahant, quam blandiantur, jure illi suo utuntur: tuam tamen diligentiam, et erga me benivolentiam commendo. Sed ut videas, quanti illorum scripta faciam, et ut merito in sacrario collocentur, illa in secessum mittam. Dicas Perotto eum prius sibi consulere debuisse quam mihi. Nam si quem virum bonum aut gravem consuluisset, non esset ingressus id exercitium, ex quo plus dedecoris quam laudis esset reportaturus. Nam quod ad te de meis scripsit confabulationibus novellus Cato, sententiam sequitur Vallae magistri sui, et non a confessore, sed a praeceptore tam gravem doctrinam percepit. Non tamen miror fuisse aliquem asinum bipedalem ex istis ypocritis circumforaneis, qui eas diceret sibi displicere, cum multum in illis habitu et vultu fictae virtutis, verae autem parum existat. Sed haec jam missa faciamus: non enim sunt digna de quibus amplius sit loquendum. Nicolaus Valpes ad me scripsit, blanditur, et mordet, ac ultra contra me progreditur, quam deceat eum, qui alterius benivolentiam quaerat: tamen respondeo illi benigne, meamque illi amicitiam offero, si eam voluerit. Vale, et me ama. Florentiae die XVII Julii 1454.

EPISTOLA XXXVII.

Poggius pl. sal. dicit Guarino suo V. Cl.

Si verbis fraudolentissimi nebulonis Nicolai Perotti fidem habuissem pro comperto, quod scripserat credens, non scripsissem ad Franciscum Marescalcum, ut a te percontaretur quaenam ea verborum fabula esset. Scio portentum illud nequissimum mendaciis, jactantiae, protervitati innixum, suis iurgiis auctoritatem voluisse quaerere ex doctorum virorum, qui secum sentirent, enumeratione. Novit enim parvi apud omnes suas contumelias aestimandas, nisi sua dicta aliorum, qui habentur doctissimi, patrocinio tuerentur. Ut autem intelligas quam mendax, quam impudens sit furunculus ille, vide quid de te scribat in quadam epistola ad virum doctissimum Albertum Parisium Bononiensem. Cum multa contra me latrasset caniculus furens, inter caetera vidisti, inquit, tu litteras, quas praestantissimi viri ad me scripserunt. Intellexisti quid Guarinus, cujus nomen immortalitati debetur, quid filii ejus doctissimi viri, quid Hieronymus Castellus homo inter philosophos acutissimus, inter oratores facundissimus, quid Petrus Balbus, et Athanasius duo academiae nostrae lumina, quid alii complures clarissimi viri in hac causa sentirent? Certus sum illum petulantem maledicum de te, deque reliquis plane fuisse mentitum, coacervasseque in unum plurium

excellentium virorum nomina, ut dignitatem suae stultitiae vendicaret. Imitatus est in arte mentiendi magistrum suum Laurentium Vallam prodigium sane horrendum atque execrabile, cum me arguat scripsisse contra te, ut nunc aestimari velit te mihi gratiam retulisse. Credo te non ita abundare otio, ut tempus tibi supersit ad Perottum ignobilem pecudem atque insulsum scribendi quicquam contra Poggium tuum, qui de te semper arbitratus sum, haec ab illo conficta ad aucupandam aliquam scriptis suis auctoritatem. Ut posteaquam vires sibi deficiunt ad me oppugnandum, maledictis aliorum, opibus et auxilio uti velit, quae tamen opinio sibi parum proderit. Depositis enim aliorum plumis ridicula fiet avis, suoque marte non aliorum armis sibi sentiet mecum depugnandum esse. Ego te, mi Guarine, amavi semper unice, summeque colui, tum propter singularem tuam eloquentiam et doctrinam, quibus plurimos instituisti, tum vero propter egregiam virtutem, et gravissimos mores tuos, qui cum plus quam ulla doctrina sint laudandi, audientes ac videntes discipulos impellunt ad officia recte vivendi, ut cuperem, si fieri posset pro bono pubblico te esse immortalem. Adde quod tu solus nobis ex illa priori schola relictus es, quem saepius et animo et mente complectar. In quo solo veteris disciplinae, ac suavissimae consuetudinis hominum de nobis benemeritorum memoria resedit; quae talia sunt, ut nunquam abduci possem, ut crederem te de Poggio tuo quicquam nisi honorificum, nisi

tanquam de viro tibi amicissimo, vel sentire, vel loqui, vel scribere potuisse. Accedit tuarum Litterarum testimonium et auctoritas, quibus suavissimis verbis te ab ea suspitione purgasti. Quid forsan, inquies, sibi volunt litterae ad Franciscum scriptae? non id egi, ut aliquid de tua in me benivolentia dubitarem, sed cum elicuissem sententiam tuam, uberiore stilo possem illius dicacissimi scurrae jactabundam loquacitatem, et mendacem jactantiam conterere; quod facere in animo est, posteaquam in diem, ut mala solent ingenia, fit deterior castigando. Litterae tuae fuerunt mihi gratissimae, quibus utar cum tempus erit ad illius vanissimi rabulae jactantiam comprimendam. Vale, et me tuo more ama. Florentiae.

EPISTOLA XXXVIII.

Poggius pl. sal. dicit Reverendo in Christo Patri et Domino meo praecipuo D. G. Episcopo Eliensi.

Vetus ac jucunda consuetudo, pater optime, quae mihi tecum diutius in Romana Curia fuit, amor quoque meus in te singularis, quem saepius perspicere potuisti, postulare videntur, ut sicut olim praesens tuarum fui particeps curarum, ita et nunc absens tecum gratuler ex ea dignitate, quam nuper intellexi Summi Pontificis in te benivolentiam contulisse. Eo autem magis ob hanc rem gaudere decet, quod non ambitioni aut

praecibus, aberas enim, sed virtuti tuae, praestantique in omni vita probitati intellexi Pontificem nostrum, meritorum tuorum memorem, ultro Eliensem Ecclesiam tribuisse. Magni est dignitas aestimanda omnis, quae in virum dignum confertur; sed illa certe videtur uberiori quodam favore esse praeferenda, quam cognitae, perspectaeque virtuti demandatam videmus. Et quamvis amplitudo generis, meritaque tua tardius quam aequum videbatur fructum ingenii et laborum perceperint; tamen ejus gratia, qui nunquam deserit in se sperantes, abunde tibi suo tempore tribuit, ut non dilata, sed amplificata tua laus et gloria videatur. Nunquam enim quod bene fit tardum esse videri consuevit, sed votis ac desideriis nostris, etiam quae celeriter fiunt, plerumque videntur esse tardiora. Quo autem diu expectata res est, eo solet jucundior esse cum venit. Haec vero dignitas multo carior nunc tibi debet esse cum pace et benivolentia omnium collatā, quam olim futura fuisset in dissensione et cupiditate multorum, qui plusquam viri boni officium pateretur, ambitione nimia tenebantur. Mihi quidem tua haec amplitudo maximae est voluptati, et tam grata est, quam quae res potest esse gratissima. Vellem, nam id facerem libentius, ut coram possem verbis tecum congratulari; quod posteaquam non conceditur, id egi paucis, quod temporis ratio et facultas permisit. Verum cum hujusmodi dignitates soleant multorum mentes ad varia consilia impellere, difficileque sit recte ferre

secundam fortunam: te rogo ut te unum ex his praebeas, quibus magis bonae mentis quam rerum externarum cura esse solet, utque inter caetera memineris te hominem esse, hoc est et mortalem, et fortunae imperio subjectum. Id autem maxime cogites virtutem solam esse quae nostri sit juris, nec vivis auferri queat, et mortuos sequatur. Scis, quoniam es doctissimus, quae ad officium ejus spectent, qui in multorum regimen et curam est positus; scis alieni patrimonii dispensationem tibi creditam esse, quae quam sit difficilis multorum declarant opera, qui nullam rationem in posterum eorum quae egerint sibi reddendum putant. Itaque suadeo tibi, licet homo pusillus sed tamen senex, ut illorum more, qui esse quam haberi viri boni malunt, bene vivendi officia tibi colenda proponas, efficiasque, ut dignitas tibi commissa tanquam calcar existat ad ea opera complectenda, in quibus beatae vitae ratio consistit. Illud egregium erit, si conaberis, ut plus honoris ex tuis ornamentis accedat dignitati qua fungeris, quam tibi ex dignitate. Praeclarum est enim dare operam studiis honestis, et id eniti, ut non casu, sed consilio, non fortuna, sed prudentia, non intercessoribus, sed vitae meritis, in altiorem gradum ascendisse videatur. Scio te uti posse Graecorum proverbio, sus Minervam: sed mea in te benivolentia videtur exigere, ut posteaquam suffragio aliquo tibi adesse non possum, iis paucis ea scribam, quae honori tuo sum conducere arbitratus. Accidit enim vitio, ut opinor,

conditionis nostrae, ut multi multa de se spondeant, antequam exaltentur in altiorem gradum. Cum vero ad id, quod quaesierant pervenerunt, prioris obliti voluntatis, communique hominum errore ducti, ea spetiosa et laudanda putent, quae vulgi opinio et plebis inscitia fecit mortalibus admiranda. Vale, pater optime, et nisi molestum fuerit, an has litteras receperis, rescribe. Florentiae.

EPISTOLA XXXIX.

Poggius pl. sal. dicit Reverendo in Christo Patri, et Domino mei amantissimo Domino P. Episcopo Brixiensi.

Intellexi te, pater optime mihique amicissime, deposita Provinciae molestia Romam redisse incolumem, quod mihi summae voluptati fuit: sed vereor ne majorem molestiam sis ingressus. Nam cum audiam statum nostrae Curiae adeo immutatum esse, ut parum pristini decoris in ea resedisse videatur, certus sum aegre te laturum hanc ejus, ut dicunt, deformitatem. Vidisti enim olim florentem illam et ornatam, ut tantam matronam decet; nunc vero omni ornamento spoliatam, incultam, atque obsoletam inspicere, summo moerore te afficiat necesse est. Temporibus ergo hanc Romanae Curiae solitudinem tribuamus, cogitemusque illis parendum, et omnia illorum incommoda aequo animo esse ferenda: quanquam

sapientissime a Seneca scriptum sit, omnis aetas de suo tempore questa est; quod accidere existimo, quod nulli rebus suis contenti sunt. Itaque speremus haec fore aliquando meliora, et ea quae dantur patienter feramus. Posteaquam enim pacem sumus consecuti, nihil nobis videtur accidere posse amplius, quod sit moleste ferendum. Existimo autem te ad Ecclesiam tuam reversurum, ut illi tua opera opituleris, quae bellis confracta, et lacera esse debet. Sed tu, qui haec melius nosti, id consilium capias, quod sit magis tuo usui futurum. Quicquid autem decreveris, te rogo, nisi inepte peto, me facias certiorem. Vale, et mei memor ut soles.

EPISTOLA XL.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Coppino V. C.

Gratissimae mihi fuerunt tuae Litterae, quibus me invitas ad amicitiam Nicolai Vulpis viri docti, et moribus, ut ais, ornatis. Nihil est, mi Francisce, quod mihi sit, aut carius, aut antiquius, quam comparari mihi amicos, praesertim doctos et probatos viros, qui et solatio nobis esse possunt et ornamento. Hunc autem qui meam amicitiam appetit ultro accipio, et recipio inter amicissimos mihi, cui omnia officia, quae ab amicis prodire solent, meo nomine, et deferas, et pollicearis volo. Sed vide ne aliud censeat, quam loquatur. Scribit ad me epistolam, in qua non meam amicitiam

videtur appetere, sed quaerere causas mihi detrahendi, quod ut planius tibi constet, mitto ad te epistolae suae copiam, et meae responsionis. Tu, cum sis prudentissimus, scrutaberis sententiam suam, et si animo sincero proficisci videtur, quicquid ei de me promiseris opere ipso perficiam, ita ut intelligas mihi pergratum esse te hunc mihi amicum parasse. Vale, et me ama. Expecto te summo cum desiderio. Sed te rogo, ut me domi visas, cum podagra me domi detineat jam multos dies, a qua videor in diem levari.

EPISTOLA XLI.

Poggius pl. sal. dicit Roberto Ariminensi V. C.

Majorem in modum me delectarunt litterae. quas nudiustertius a te accepi singulari quadam erga me benivolentia scriptas. Gaudeo sane litteris amicorum, et eorum praecipue, quos mihi morum et studiorum similitudo copulavit, qui cum parvo numero censeri facile possint, eo mihi gratior est amicitia tua quo rariores sunt; quos non solum amare, sed diligere debeamus. Videmus multos natura reproba ac perversa, quos litterarum studia reddunt nequiores. Non enim in agro male subacto fructus bonus oriri consuevit. Te vero novi unum ex iis, qui cum sis doctrina et eloquentia excellens, non verbis, non ostentatione, sed vita, et moribus philosopheris, et una cum studiis humanitatis virtutem colas. Manca est enim

doctrina omnis, nisi virtutis robur accedat, quo mihi jucundior et carior fit benivolentia et amicitia talis viri. Illa vero Vallea, et Perottea scelerum sentina, quorum omne studium positum est in arte detrahendi bonis et doctis viris, ac in emulatione, invidia, maledicendi studio occupatum, una cum suis clientulis contemnenda ac respuenda est, eorumque usus et consuetudo penitus fugienda. Gratissimum igitur mihi fecisti, qui me semisopitum tuis suavissimis litteris excitaris. Ex qua re tibi gratias ingentes ago, ut ait Gnato ille Terentianus. Sed haec hactenus. Perottus noster poeta omnis poesis, praeterquam proba fingendi expers, ignarus, ut Vallae gratificaretur plura contra me evomuit ex stomaci, ut arbitror, cruditate. Sed eo medicamento absque tamen eleboro, insanos illius humores purgavi, ut vomere desierit. Una oratiuncula dementem stupidumque asellum compressi, paratus plura edere, si illius stultitia ulterius progressa esset. Eam excribi faciam quamprimum, tibique mittendam curabo. Tu modo da operam, ut si quis tabellarius, aut alter a vobis accesserit, ut me conveniat; nam tradam illi orationem ad te deferendam. De Sybillis quod petis, non est mihi nunc otium talia exquirendi; sed quod re nequeo, consilio adjuvabo. Bonae memoriae Cardinalis de Ursinis, qui tempore Eugenii defunctus est in aula palatii sui, quae paramenti camera appellatur, sybillas omnes summa cum diligentia pingi fecit cum inscriptione eorum, quae suis temporibus, quaeque de Christo

praedixit. Quare scribas Romam licet, ut et formam picturae, et nomina Sybillarum, et epigrammata notentur ab homine erudito, tibique mittantur. Nam nullo in loco reperies quod quaeris exquisitius, et simul effugies molestum laborem. Non enim parva cura haec res, aut nunc confici posset, aut tunc, confecta est summa cum doctissimorum virorum diligentia. Audio tibi uxorem esse adolescentem formosiorem, sed adhuc sterilem, quod equidem miror, cum et vir integra sis aetate, et illius anni liberis accommodati: nescio id cujus culpa accidat: sed aut colonus, aut fundus in culpa est, si fructu caret. Expergiscere igitur, et ostende, neque tibi, neque illi tuam operam deesse. Tenta vias omnes, et singula scruteris argumenta, quibus elicias prolem. Vereor tamen ne nimis tarde hanc artem uxoriam sis ingressus: dices me serius uxorem coepisse: at ego non tiro in mulierum congressu eram sed veteranus. Rejice a cubiculo curas graviores, et molestas cogitationes. Nam quae jucundo ac libero a molestiis animo fiunt, solent esse validiora; omnia tamen agas modice, et absque labore. Non est enim utilis in eo exercitii genere defatigatio. Scis vinum sapidius esse solere, quod ex uvis elicitur, quam quod exprimitur ex torculari: haec jocandi gratia. Vale. Florentiae.

EPISTOLA XLII.

Poggius pl. sal. dicit Reverendissimo in Christo Patri Domino meo carissimo Domino A. Sanctae Praxedis Presbitero Cardinali.

Reverendissime in Christo Pater, et domine mi carissime. Manentes cognatus meus pluribus verbis retulit mihi tuam erga me benivolentiam singularem; quod quamvis jamdudum cognoverim, laetatus sum tamen audire te esse memorem mei, neque ut multi solent, absentis memoriam abjecisse. Retulit insuper quantam charitatem erga eum ostenderis, pollicitationes quoque tuas addidit, si quod tempus acciderit, quo sibi prodesse possis, quae mihi carissima fuerunt; tibi vero, pro hac singulari benivolentia, quam erga me ostendis, et etiam in eo, ago gratias quas possum. Est natura tua et ad diligendum, et opitulandum prompta, quae duo in egregiis et magnis viris maxime requiruntur. Nam qui amat, ut ametur necesse est, ex quo amicitia sequitur maximum humanae vitae praesidium; et qui aliis auxilium praebet, beneficus vocatur, quae virtus praecipua est, et plurimi aestimanda. Gratissima certe omnibus est, cum rari sint, qui non aliquando alterius subsidio egere videantur. Ego quod in me erit, semper ero memor tuae erga me humanitatis, quam conservet Altissimus.

EPISTOLA XLIII.

Poggius pl. sal. dicit Reverendissimo in Christo Patri, et Domino mei amantissimo D. L. Sancti Laurentii in Damaso, Cardinali Aquilegiensi, Domini nostri Papae Camerario.

Ad tua in me singularia merita, pater et domine mi reverendissime, accessit charitas et benivolentia, quam ostendisti erga Manentem [illegible]tum meum, qui nuper rediens ab Urbe multis mihi verbis narravit, quam benigne, quam humaniter secum fueris locutus, pollicendo in his, quae ad suum statum et commodum pertinerent, patrocinium, operam, et diligentiam tuam, et ea omnia referens ad praecipuam benivolentiam, quam semper adversum me habuisti. Scio auxilium, favorem, et promotionem tuam nulla in re unquam mihi defuisse, teque in laudibus meis saepius versatum verbo et opere me extulisse, ita ut tibi tantum debeam, quantum difficile est ut possim solvere. Nihil enim est, in quo possim tuis erga me beneficiis respondere; animum tamen et gratum et memorem tuorum in me beneficiorum, et esse, et fore possum polliceri. Reliqui Curiam non animo, sed corpore, neque oblivisci possum jucundae consuetudinis, quae mihi tecum, et cum ceteris amicis erat. Utor hoc amicitiae nomine, quia honestius id est, et sanctius dominationum

et servitutum verbis, et etiam vinculi majoris. Itaque tecum absente loquor saepius referens memoriam ad eos sermones, quos saepius summa cum voluptate variis de rebus conferabamus, ubi summa libertas loquendi, et jocandi erat. Audio tamen Curiam eo redactam, ut pauca illius prioris quam memini vestigia residere videantur, quo aequiore animo fero me abesse. Ubi enim, ut inquit Cicero, non sis qui esse soleas, non esse cur esse velis. Rem Manentis nostri, cum tempus ade[illegible] tibi majorem in modum commendo. Opto ut [illegible], pater mi amantissime. Commenda me Domin[illegible] Nostro Sanctissimo cum tempus erit, quo de me loqui possis. Florentiae.

EPISTOLA XLIV.

Poggius pl. sal. dicit Petro de Noxeto V. C.

Michael Felicis de Brancaciis, quem nosti, ita pauper est, ut nequeat esse pauperior: non tantum paupertate laborat, sed mendicitate, et id non sua, sed fortunae culpa. Eum tibi majorem in modum commendo, rogoque ut pietatis intuitu ei de aliquo exercitio, ex quo victum ducat provideri cures, ne cum fame et inopia certare cogatur. Supplica te oro Dominum Nostrum Sanctissimum, qui solet esse piissimus, et aliquando etiam in non egentes liberalis, ut hunc alicui officio deputet, cujus ope sustentetur. Id pietatis atque humanitatis tuae

officium erit, et acceptum Deo. Scis maxime boni viri esse benefacere quamplurimis, et praesertim egenis cum possis, et subvenire inopi. Haec charitatis opera sunt, quae maxime nos commendant Deo. Vale, et me Domino N. S. commenda, eique si opus esse videbitur, has litteras legendas trade. Florentiae.

POGGII

EPISTOLÆ.

LIBER DUODECIMUS

EPISTOLA I.

Poggius pl. sal. dicit Guarino Veronensi V. C.

Cum essem in Balneis Petriolanis, redditae sunt mihi abs te suavissimae litterae, quibus me rogas ut curem, ut problemata Aristotelis et Hippocratis aphorismi, quos Graece scriptos ais hic haberi a quodam viro Latinis, Graecisque erudito Litteris, mutuo concedantur praeclarissimo viro Gregorio filio tuo, quem flagrare dicis hos libros potiundi cupiditate. Mi Guarine scias velim nihil esse tam difficile, quin mihi facillimum sit futurum, ut satisfaciam desiderio tuo, praesertim, et pro filio, et honesta postulanti. Debemus certe, etiam si reliqua desint acclamatione quadam, et plausu, incitare discendi cupidos in his studiis praecipue, quae non propter quaestum, sed

propter ipsam doctrinam et philosophandi cupiditatem expetuntur. Qua in re summe laudo curam et diligentiam tuam in his libris comparandis, quibus filius tuus, vel noster potius, prae caeteris eminere inter homines possit. Verum quis libros quos cupis habeat ignoro, neque antea de iis voluminibus verbum ullum audivi, neque intellexi aut hic esse, aut apud quem essent. Memini jam ferme biennium cum Romae essem te de problematibus ad me scripsisse, quos Pontifex habet, quo cum locutus sum diligenter, et ipse benigne respondit, se ejusmodi libros tibi concessurum, cum eos vir doctissimus Theodonius Graecus transtulisset, quos jam magna ex parte Latinos fecerat. Et arbitror opus illud jam esse absolutum. Potes rogare Aurispam, ut illos a Pontifice petat, et ad te curet deferendos. Si tamen me certiorem feceris apud quem virum libri sint, dabo operam, ut satisfiat cupiditati tuae. Sed haec hactenus. Antequam ad Balnea proficiscerer, respondi tuis litteris, quibus te purgabas ab iis, quae nebulo ille laureatus in te conjecerat, scribens et te, et filios tuos nescio quid contra me, et loqui, et sentire. Quae litterae si ut existimo ad te delatae sunt, judicabis abunde satisfactum tibi. Non enim ad Marescalcum id scripsi, ut quicquam crederem aut te, aut filios in Poggii tui contumeliam locutos: sed ut refricare possem eo mendacio os illud impudens atque impurum male lascivientis aselli, suamque turpitudinem aliorum pallio tegere cupientis; sed longe aberrat. Non est nostra amicitia,

aut ita levis, aut ita nova, ut mendacissimae linguae flabello ulla ex parte inquinari possit. Vale mi Guarine, et tuos filios, quos non secus ac meos diligo, verbis meis saluta. Haec scripsi postridie, quam tener ex balneis redii, neque pedibus, neque corpore adhuc satis recte constitutis. Hieronymum Tifernatem virum doctissimum meo nomine salvere jube. Florentiae.

EPISTOLA II.

Poggius pl. sal. dicit Guarino suo.

Quaesivi diligenter apud nostros libros Graecos quos desideras, ut satisfacerem tuae voluntati. Magister Petrus quem nominas Latinis et Graecis Litteris eruditus nullos habet ejusmodi Libros, sed existimare se dixit esse Aristotelis problemata in Biblioteca Sancti Marci inter Nicolai libros: quaesivi statim in Biblioteca, et omnia volumina discussi, in quibus nullum comperi ejusmodi codicem. Legi quoque repertorium Librorum Nicolai, neque in eo inventi sunt Hipocratis Aphorismi. Cum de eis a multis investigarem, audissemque libros ejusmodi esse apud virum doctissimum Franciscum de Castiliunco, conveni hominem petens, an ii apud se essent; respondit non omnes, sed majorem partem se habere, quos mihi pollicitus est se meo arbitrio concessurum. Eos si cupis, me facito certiorem, ut satisfaciam desiderio tuo. Laetor te Strabonem traducere ad

Latinos, ut et nostra Lingua tua diligentia reddatur amplior, et hoc egregio opere perpetuam tibi laudem compares. Nam certus sum tuum nomen hoc tuo labore illustrius futurum. A te autem peto, ut quamprimum poteris pro tua in me benivolentia participem me facias tuarum vigiliarum. Gratissimum erit mihi hunc insignem auctorem legere; est enim ut videtur res digna, quae ab omnibus, et praesertim a doctis viris, cognoscatur. Potes antequam libros omnes absolvas, aliquam particulam tanquam primitias ad me destinare, quod ut facias te vehementer rogo. Saluta meis verbis, tum filios omnes, quos audio esse a te et doctrina et moribus institutos, tum Hieronymum Tifernatem virum aetatis nostrae doctrina et ingenio praestantissimum, rogaque, et hortare, ut quoniam Nicolaus Perottus ipsum testem contra me citat, male de me sentire asserens, paucis ad me verbis scribat illum nebulonem, prout certus esse videor, plane mentiri, quod ex justa causa majorem in modum desidero. Faciet certe in eo rem mihi pergratam, neque a suo honore alienam. Neque enim adduci possum, ut Hieronymus, quem semper unice dilexi, aut de me oblitus sit, aut scripta damnet. Vale, et quid a me de Aphorismis fieri velis scribe.

EPISTOLA III.

Poggius pl. sal. dicit Alberto Parisio Bononiensi.

Redditae sunt mihi litterae tuae, et Bartholomaei nostri nomine scriptae, quibus mihi significatis vos mearum epistolarum volumina recepisse, easque admodum placere vobis. Gratum est mihi majorem in modum judicium vestrum, qui cum sitis doctrina et eloquentia praestantes, collaudatis vigilias meas, ultra quam forsan veritas patiatur. Hoc prodire conspicio ex praecipua quadam vestra erga me affectione. Delector tamen commendatione vestra: sed quanticunque sint aestimandae, aliorum judicio relinquo. Nihil enim in eis mihi arrogo, qui scio qua facilitate, qua celeritate, quibus persaepe occupationibus illas scripserim. Sed ut Pythagoras, ut opinor dicere solitus erat, hunc mundum tanquam mercatum esse, in quo varia ad vendendum exponerentur, et cum non omnes easdem facultates afferrent, quemque pro copiis sumptum facere: ita epistolae meae propositae sunt omnibus, sed iis praesertim, qui tenui sunt censu. Nam divites et fortunatos scio quaerere opulentiora. Secundum vero volumen quod petitis, est in manibus, cui quotidie aliquid adjicio, quod videatur lectione dignum. Cum tempus erit te compotem faciam desiderii tui. Oratiunculam, quam petitis contra Amedeum scriptam, mittam ad vos cum primum reperero, cui recte

credi possit. Quod quaeritis Teucri ne, an Turci dici debeant ii nostrae fidei hostes, ratio mihi eorum nominum incerta est. Teucrorum tamen nomen antiquum scitis esse a Teucro ductum, et ab eo Trojanos Teucros appellatos. Post excidium vero Trojae legimus nullam gentem hoc nomen in Asia usurpasse; quod noviter et nostro Saeculo videtur esse excitatum. Potius vero eos dixerim Turcos novo nomine, quod aliis multis nationibus contigit, quorum ratio nulla extat. Tartari hodie ii appellantur, quos priscis temporibus Scythas dicebant. Macedonia, Epirus, et Holi novum nomen sortiti sunt. Hungari antea Sarmatae erant, Poloni, ac Boemi alio nomine appellabantur. Progenitorum hujus nostri hostis origo et nomen ante centesimum annum obscurum erat, et cum intra minoris Asiae terminos contenti essent: postea frater quidam imperatoris Constantinopolitani in odium fratris bellum sibi inferentis, urbem Galipolim, quam tenebat in Hellesponto, ex quo brevis in Asiam transitus est, majoribus istius dedit ante annos ferme nonaginta. Hoc Europae aditu illis patefacto omne Graecorum imperium occuparunt; quod autem proprius sit eorum nomen, viderint earum rerum curiosiores. Doctissimum virum mihique amicissimum Benedictum Morandum sumere laborem comprimendi insaniam Laurentii Vallae, quam effudit in redarguendo Tito Livio, summe placet mihi, sed ut alias scripsi, non solum Titum Livium, sed omnes priscos doctissimos viros illa maledica lingua et sacrilega

manu redarguit, persequitur, culpat, et velut ignaros damnat. Inter caeteros vero Aristotelem multis in locis in Dialeticis, et Phisicis reprehendit, componens libellos nescio quos reprobos insaniae et stultitiae suae testes: qui cum ab omnibus rideantur, ipse tamen cervicoso capite perstat in sententia. Sanctum quoque Hieronymum mirabiliter mordet in quodam opusculo, quod de ejus, ut putat, erroribus in transferendo composuit. Boetium quoque arguit male sensisse de Trinitate. Beatum insuper Augustinum reprehendit, quod male senserit de praedestinatione divina. Itaque non homo hic est, sed monstrum immane, cujus dementia non verbis coercenda esset, sed igne punienda. Et nisi Pontificis humanitas eum protexisset jam multis auctoribus dedisset errorum poenas. Jucundissimum erit mihi videre, quae scribat Morandus noster, ut aliquid salis ad epulas suas addam. De pecuniis, quas dicis te Nicolao dedisse, amice fecisti, cum eas habuero, te faciam certiorem. Scribo epistolam quamdam ad Magistrum Petrum Thomasium Venetum, cujus exemplar ad te mitto, quod communices cum Perotto nostro, quem scio ab Urbe rediisse refertum ac suffarcinatum doctrina, et eloquentia Laurentiana. Vale, mi Alberte, et Bartholomaeum quoque, nam ambobus scribo, meo nomine salutem dicas. Florentiae.

EPISTOLA IV.

Poggius pl. sal. dicit Bartolomaeo Ghiselardo V. C.

Displicet admodum mihi te molestiam inanem suscepisse ex litteris, quas nuntiatum est tibi mihi tuo nomine redditas fuisse. Nam nullus aliquid ad me scripsit aut suo, aut alterius nomine jamdudum, in quo aliquid improbum, aut reprehensione dignum contineretur. Opinor aliquos invidos, atque emulos, quibus nostra amicitia molesta est, hoc comentum finxisse, quo tibi molestiam, et iracundiam excitarent. Sed contemne illos, et sine ut propria invidia laborent, et sibi ipsis potius, quam aliis noceant. Ego te semper dilexi plurimum, et diligo atque amo, ut postulat virtus tua et singularis, quam habes erga me, observantia. Si quid ejusmodi scriptum ad me pervenisset, fecissem te subito certiorem. Neque enim mea fert consuetudo, ut non palam profitear sententiam meam, et plane dicam quid sentiam. Nunquam aut simulator, aut dissimulator esse volui; sed ire aperta via, prout boni viri officium requirit. Vale, et omnes invidos contemne. Florentiae.

EPISTOLA V.

Poggius pl. sal. dicit Alberto Parisio V. C.

Laetor, mi Alberte, et litteras, et oratiunculam tibi placuisse: quod autem in verbo proprius quidam me culpant, parvifacio stultitiam eorum. Non potest negari, quin proprium latine dicatur, et adjectivum sit nomen, ex quo et comparativum, et superlativum nasci potest. Pecunia, quam misisti, mihi tradita est. Ex litteris Bartholomaei nostri percepi summa cum voluptate te uxorem coepisse, quae res tibi bene vertat; est enim res non parvi existimanda, si quis ea modice uti voluerit. Cum uxorem duxeris, da operam, ut pedetentim incedas, neve te ultra quam facultas patitur progrediaris. Iter longum est; itaque consulendum est viribus, et curandum, ne voluptas in dolorem vertatur. Vale, et me ama. Palam factum est hic Nicolaum Perottum, non contentus priori arte, quae cum asinum reddidit, coepit inter sicarios versari, et percussores subornavit ad me interficiendum. Nescio an solus hoc sit meditatus, an alterius consilio fuerit usus. Scribunt domini mei de hac rei iniquitate, et nefario flagitio magnificis prioribus dominis vestris, et item Legato, prout videbis per Litteras eorum. Te rogo, ut coram dominis rem detesteris, horterisque ad tanti sceleris ultionem. Non enim tolerandum est civitate nobis foedere et amicitia conjuncta, haec

maleficiorum consilia iniri, aut tractari. Quae per dominium vestrum punienda sunt, et vulgandae inter omnes illius exoleti detestandae proditiones: haec dicas omnibus nomine meo. Non sum ita parvi praetii, quin par pari possit referri, si velim. Vale iterum, et haec communica cum Bartholomaeo Ghiselardo.

EPISTOLA VI.

Poggius pl. sal. dicit Domino B. Cardinali Episcopo Sabinensi, Legato Bononiensi.

Ago tibi gratias quas possum, reverendissime in Christo pater, et domine mi carissime, qui pro tua humanitate, et pristina erga me benivolentia magna me molestia animi liberasti, ostendistique viri boni esse, qualem te semper existimavi, dissensiones ad concordiam, et inimicitias ad benivolentiam revocare. Angebar antea animo, et graviter ferebam insidias mihi parari ab eo, quem minime oporteret, versabamque varias mente cogitationes, ulciscenda ne, an obliviscenda talia contra me inita consilia viderentur. Sed receptis tuis gravissimis atque prudentissimis litteris deposui omnes curas, et animi anxietatem, quae me admodum detorquebat. Intelligo enim quae a me delata erant falsa esse, quod quidem mihi est jucundissimum. Ego, mi pater praestantissime, non sponte mea, sed coactus olim alterius contumeliis et maledictis, ne viderer talis esse qualis

describebar, descendi in certamen mihi molestissimum, putans mei officii esse famam et nomen meum adversus detrectantium maledicentiam tueri. Sed utendum est amnistia illa Ciceronis nostri, et praeteritorum memoria perpetua oblivione delenda. Excusationes tuas libenter accipio, et quae scribis fuisse vera, et fore confido. Novi excellentiam virtutis tuae, novi probitatem, fidem et religionem; novi humanitatem ac benivolentiam, quam adversus me ostendisti, qui fui semper deditissimus tibi. Scio me a te diligi, et tibi percaram esse salutem meam. Nunquam tamen adduci potui, ut crederem Nicolaum velle suae adolescentiae primitias tam nefario scelere nobilitare. Sed tamen et irae et odii vires multa posse cognoram. Et tam firmis conjecturis res niti videbatur, ut tutius esset timidiorem se ostendere, quam parum cautus videri. Ego, quod bonorum virorum est, et odium, si quod adversus Nicolaum conceperam, depono, et tacebo deinceps, neque aliquid dicam, aut scribam, in quo nomen illius laedi queat. Ipse ad me humanissime scribit se purgans ab iis, quae objiciebantur, ac ultro offerens amicitiam suam: cui respondeo prout videre poteris per litteras meas. Hoc tibi persuadeas velim me in tua pietate esse futurum, et si qua etiam in re Perottus me laesisset, tui gratia omnem injuriam remissurum, et ea, quae mihi offert, charitatis officia accepturum. Hoc in calce epistolae adjiciam, me tuis litteris, tanta charitate ut ad filium scriptis, devinctum esse tibi affectione animi sempiterna etc.

EPISTOLA VII.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao Perotto.

Discidii, quod inter nos dudum fuit, tu met testis es optimus, causam a me non processisse memento. Quiescebam enim, et te laudabam pro labore, quem susceperas in Polibii libris ad linguam nostram traducendis. Tu scis, an docti et bene instituti adolescentis officium requireret de me scribere quae scripsisti; quod cum mihi indignissimum videretur, et aegre ferens te indignam tua doctrina provinciam suscepisse, scripsi prout tua provocatio requirere videbatur. Haec ob eam rem dixi, ut recognoscas, quod tibi notissimum est, non fuisse me auctorem interrumpendae benivolentiae nostrae. Secuta est postea suspitio non temere a me suscepta, quam gaudeo inanem et falsam esse, laetorque datam ex eo occasionem, ut tales inter nos simus, quales utriusque virtutem decet. Itaque placet mihi, quod prudenter scribis, te velle resarcire pristinos errores charitate futura. Ego non solum amicitiam tuam, qui es mihi notissimus, sed etiam ignotorum, in quibus aliquod specimen eluceat ingenii, appeto. Itaque deposita, atque aboleta praeteritorum scriptorum memoria te propter aetatem ut filium diligam, et ut virum Litterarum studiis praeditum habebo inter amicissimos. Non est insuetum, ut viri docti quanquam mutuo odio dissentiant. Scis Ciceronem

nostrum et laudasse M. Crassum, cui fuerat inimicissimus, et Vatinium, contra quem acerrime scripserat, postposita inimicitia defendisse. Excusatio quam facis, et prioribus, et his litteris te nullum adversus meam salutem consilium coepisse, pergrata est mihi; malo enim te rectis consiliis quam improbis uti. Sic enim te hortor, ut videas te a me diligi; ut aetatis tuae, hoc est honestatis rationem habeas; ut ea agas, cogites, mediteris, quae te clariorem virtute, et meliorem queant reddere; ut tui quondam praeceptoris jactantiam, et contumaciam fugias, ut bonos viros colas; ut viri summo ingenio summaque doctrina, fide, probitate, gravitate, virtute praestantis, Reverendissimi Patris Domini Cardinalis, monitiones et instituta sequaris: non enim aberraris, si tanti viri monita fueris imitatus. De me autem ita polliceor me nihil deinceps de te nisi cum tuo honore et laude locuturum. Omnia certe faciam, quoad facultas erit, ut intelligas te a me amari, utque docti omnes cognoscant hanc nostram reconciliationem. Litterae tuae admodum mihi placuerunt humaniter et summa cum modestia scriptae. Des modo operam, ut quae scribis, animo sentire videaris, quod si egeris, ut olim ex Thidei et Polinicis certamine summa amicitia consecuta est, ita fore inter nos spero, ut haec nostra verborum concertatio firmioris amicitiae causa sit futura. Vale, et ut polliceris, quoniam id mutuum fiet, me ama.

EPISTOLA VIII.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Coppino.

Gratissimae sunt mihi litterae, quas scribis in excusationem Nicolai Perotti: sed majorem in modum mihi gratum fuit, quod scribis de immutata ipsius in melius voluntate, et quod cupiat in priorem benivolentiam redire, quae omnem animi molestiam abstulerunt. Credo esse vera quae scribis. Nam mirabar Nicolaum adeo perditae mentis esse, ut tam scelestum facinus procuraret. Sed tot conjecturae aderant, ut quemvis monere potuissent. Carum tamen est mihi hanc suspitionem incidisse, quae facta sit causa nostrae reconciliationis. Ego deinceps Nicolaum diligam ex animo. Recommenda me Domino Legato, cujus litteris respondeo. Vale, et me, ut soles, ama.

EPISTOLA IX.

Poggius pl. sal. dicit insigni viro Joanni Nicolao Provinciae Patrimonii Gubernatori.

Ago tibi gratias, vir praestantissime, quas possum, quod mei memor tanquam ad amicum scripseris. Ego ut te vidi dudum, ut cognovi humanitatem et prudentiam tuam, toto te animo sum complexus, et adscripsi in numero eorum, qui mihi essent summa necessitudine conjuncti.

Itaque grato animo accipiam oblationes tuas, et si quid mihi, aut meis, opus esset opera tua, uterer tuo patrocinio tamquam ejus, quem scirem libenter mihi satisfacere, et morem gerere voluntati meae. Quod autem cupis habere Ciceronis orationes, perquisivi diligenter sicuti essent venales, tandem reperi volumen quoddam elegans, perpolitum, optimis scriptum litteris, et ab eo, qui doctissimus esset, ex quo conjicio omni menda carere. In eo sunt orationes decem et novem, prout videbis per cedulam praesentibus inclusam. Praetium earum est auri novi quatuordecim. Si codex videtur paulum carus, existimes res bonas et venustas non solere caras videri. Quid tamen fieri velis, scribas; obtemperabo voluntati tuae.

EPISTOLA X.

Poggius pl. sal. dicit Benedicto Monardo Bononiensi.

Recepi a te litteras et orationem, quam scribis contra ignorantiam Laurentii Vallae; qua in re optimis uteris argumentis. Sed tamen si Titus Livius reviivisceret, caput illud asininum perstaret in pervicacia sua. Omnia a te eloquenter et vere dicta sunt, sed parum vehementer. Itaque mitto ad te quamdam additionem, quam vellem a te poni priusquam cum eo inciperes congredi: non tamen ea forma, qua est; sed capias aliquas ex iis sententias et verba, de quibus videbitur tibi.

Sed utrum meas, aut tuas sententias posteris, videtur aliquid in eo principio adjiciendum esse; id effice arbitrio tuo. Redditae sunt mihi postmodum aliae a te litterae, quibus te dicis aliquid immutaturum, quod mihi summe placet; et eo modo videris mihi rem et hominem magis urgere. Ego, mi Benedicte, ex quo te cognovi, fuit enim tempore Eugenii Papae, cum esses Episcopi Concordensis, qui Bononiae erat, gubernator Secretarius, te benivolo et amico animo sum complexus. Putabam, quod mei, sicut multis contingit, oblitus esses; nunc cum videam non solum obliteratam, sed auctam tuam in me benivolentiam, gaudeo me habere propugnatorem honoris mei, et ea sentire, quae a bonis viris sentienda sunt. Contemne hanc catervam sola invidia et malivolentia praestantem. Arescent enim eorum dicta quotidie, et in fumum redibunt. Et quanquam dura sit provincia pugnare cum stultis, tamen rationi semper et veritati locus datur, cum aliquando flecti, non frangi consueverunt.

EPISTOLA XI.

Poggius pl. sal. dicit Joanni Aurispae V. Cl.

Scio te, cum sis, ut ajunt, satis a negotiis ociosus, vacare studiis Litterarum, et resarcire praeteriti temporis jacturam. Qua in re, cum communicatio eorumdem studiorum cum viris doctrina eruditis soleat esse admodum jucunda,

consului Bartholomaeo Bucinensi, qui Romam venturus est, ut in tuam familiaritatem se penitus insinuaret, quo et ipse tua opera et patrocinio uti posset, et tu haberes socium studiorum. Suscipe igitur eum, et amplectere ut alterum Poggium, eamque erga ipsum benivolentiam et amorem, quem in amicis soles, ostende. Habebis hominem probum, eloquentem et deditum studiis, quibus nos delectamur, in quibus adeo hic profecit, ut sit eloquentissimis comparandus: judicabus eum dignum propter suam humanitatem, qui a te unice ametur. Ostendas oro erga eum tuam illam solitam benivolentiam, teque cupidum satisfaciendi iis, quos tibi duxerim commendandos: quod erit mihi tam gratum, quam quod posset esse gratissimum. Fac te obsecro, ut Bartholomaeus mihi gratias uberrimas merito agat ex hac mea apud te commendatione. Vale, et me ama ut soles.

EPISTOLA XII.

Poggius pl. sal. dicit Candido suo V. Cl.

Bartholomaeum de Bucino, virum humanitatis et eloquentiae studiis apprime eruditum, complector amore quodam praecipuo, tum propter doctrinam et virtutem suam, tum quia me ut parentem reveretur, et colit. Is veluti vir doctus honoris cupidus, ut aliquo exercitio sibi laudem et quaestum comparet, accedit ad Urbem, in qua videt etiam indoctos persaepe utilitatem et famam

consecutos. Iniqua est, ut ajunt, temporum conditio: sed si expectetur, ut meliori loco res se habeant, longior esset forsan mora, quam hujus ratio requirat. Itaque procelloso se committet pelago tranquillitatem expectaturus, quam citius praesens quam absens poterit sentire. Eum tibi ut me alterum commendo, rogoque ne ejus consuetudinem asperneris, sed suscipias inter eos, qui solent tibi esse carissimi. Cognosces hominem eloquentia et doctrina praestantem dignumque amicitia tua. Cape igitur mei gratia hujus viri tanquam tibi deditissimi curam, dilige illum oro, atque effice, ut tua opera, consilio, auxilio uti queat, cum opus erit, quod erit gratissimum mihi. Vale, et me ama.

EPISTOLA XIII.

Poggius p'. sal. dicit Rinuccio suo V. C.

Bartholomaeus de Bucino Dominici frater est mihi longa consuetudine et mutua benivolentia adeo conjunctus, ut non possit esse conjunctior. Amo ipsum, tum propter vicinitatem patriae, tum quia praecipua quadam jamdudum fuit erga me observantia. Est praeterea humanitati et eloquentiae deditus, in quibus adeo excellit, ut meo judicio omnes hujus urbis homines antecellere videatur. Judicabis ex ejus familiaritate hominem integrum et doctum, ac dignum qui inter tuos intimos annumeretur. Is accedit ad Urbem honoris

et amplitudinis quaerendae gratia, ac etiam ut Litteris Graecis, quarum est cupidissimus, operam impendat. Iniqua sunt tempora, sed labor improbus omnia vincit: bene agendo et perseverando aliquid inveniet se dignum. Non enim semper, et apud omnes virtus rejicietur, et improbis, aut importunis locus erit. Fata viam invenient. Te autem rogo, ut pro nostra amicitia hunc aeque ac me ipsum recipias, eique consilio et auxilio adsis non secus ac tua in me charitas requirit. Vale, et mei memor.

EPISTOLA XIV.

Poggius pl. sal. dicit Episcopo Perusino.

Reverendissime pater, et domine mi carissime. Sacerdos ille Cortonensis, quem tibi, dum essem in Balneis, commendavi, ignotus mihi erat, neque noram quis, aut qualis esset. Litterae plurium amicorum, qui eum ab omni crimine purgabant, me ad scribendum impulerunt. Gratum tamen fuit mihi, te tantum Poggi tui, ut scribis, et Litteris, et benivolentiae tribuisse, ut ille, si mens fuisset, sane ab omni discrimine liber esse potuisset. Sed si noluit benedictionem, elongabitur ab eo. De me autem te hoc existimari velim, me pluris capillum unicum tui capitis facere, quam totum illius corpus. Quid mihi cum illo est, quem nunquam videram, nisi nudiustertius cum quaereret meam apud istos dominos intercessionem? Qua

de re cum domino Angelo vexillifero nostro verba facerem nesciens quae acta essent, dixit p. t. ad eum scripsisse, et simul mihi tradidit litteras tuas, quae mihi fuerunt gratissimae, cum tantum ostendas erga me amorem. Conveniens vero sacerdotem illum, culpavi graviter suam temeritatem, ne dicam stultitiam non ferendam, hortatusque sum ut maledicta verteret in praeces ad misericordiam implorandam. Ego, mi pater, ne dum aliquid agerem, quod vergeret in tuum dedecus, aut quod scirem displicere tibi, sed id aut agentibus, aut conantibus obsisterem, prout tua in me charitas requirit. Non cadat in mentem Poggium tuum quicquam contra te procuraturum, aut cogitaturum, qui novit et expertus est jamdudum tua erga se benivolentiam singularem, qui quotidie tuo auxilio, et patrocinio sit usurus, nedum pro sacerdotulo, sed ne pro quibusvis aliquid operis, aut consilii in aliqua re ponerem contra voluntatem tuam. Unum tamen dico, quod non erit alienum a dignitate episcopali, dandam esse quandoque errata confitentibus ac poenitentibus veniam, in qua dantis honor existat: hominibus quoque gratum est; nam Dei proprium illud est opus esse misericordem erga illos, qui digni misericordia videantur. Rogo te pariter ut recommendes me Domino Nostro Sanctissimo; compatrem vero verbis meis salutes et cubicularios omnes. Nonnulli me rogarunt, ut requirerem a te, ut huic mulcta pecuniaria remittatur, quod et facio, relinquens id tamen judicio tuo.

EPISTOLA XV.

Poggius pl. sal. dicit Niccolao Papae V.

Temporum accidit et fortunae culpa, Sanctissime ac Beatissime Pater, ut gener meus adhuc nequiverit exequi officium Praeturae Perusinensis, olim sibi per Sanctitatem Vestram ad meas praeces concessum. Nunc vero cum tempora nequaquam obstent, velit Vestra Sanctitas hac in re favere desiderio meo, quod est, ut huic potestati, qui nunc est, gener meus succedat in officio potestatis. Idcirco dignetur Vestra Sanctitas velle servare gratiam, et in hac re dicere qui sit animus domino Petro de Noxeto, cui super hoc scribo rogans, ut pro me apud Vestram Sanctitatem intercedat. Recommendo etc.

EPISTOLA XVI.

Poggius pl. sal. dicit Episcopo Recanatensi.

Posteaquam redii in patriam, reverende pater, diverti animum a curis Romanae Curiae cujus acta mihi facta sunt paulo ignotiora. Tardius ergo intellexi te Gubernatorem Perusii esse factum, ac reverendo patri meo domino Episcopo Brixiensi viro praestantissimo successisse. Sciebam tantummodo Praesidem esse mutatum; sed quis esset nondum tenebam. Pridem vero, cum a

quodam ex tua familia intellexerim te esse eum, hoc est, Nicolaum Forliviensem Recanatensem Episcopum, qui mihi olim summa consuetudine et familiaritate solebat esse conjunctus, nolui deesse officio nostrae necessitudinis, quin tibi ex hac tua dignitatis amplitudine gratularer. Gaudeo itaque tecum eam provinciam tuae gubernationi demandatam, in qua possis ostendere virtutem tuam. Est tibi summa doctrina, et rerum plurimarum usus, ex quo prudentia confici solet. Est vitae integritas et morum splendor, quas ob res spero te summam laudem et honorem ex hac administratione talis provinciae reportaturum. Ego nihil a te peto, nisi ut non sis unus ex his qui post adeptum aliquem ampliorem statum amicorum obliviscuntur, magis fortunae memores, quam virtutis. Quamvis enim nihil in te adjumenti conferre possim, tamen benivolentia virorum non ignobilium non est a sapientibus aspernanda. Ego tuus sum. Habes hic hominem tibi deditum, cujus opera pro arbitrio uti potes. Si quid vero mihi tuo patrocinio opus esset, ad te recurrerem, non tanquam dominum, sed amicum. Vale et me ama.

EPISTOLA XVII.

Poggius pl. sal. dicit Reverendo in Christo Patri et Domino mei amantissimo Domino F. Episcopo Ferrariensi.

Donum ad me misisti, praestantissime atque optime pater, praecipuum sane, et quod a me maximi aestimetur. Semper cognovi tua erga me propensam charitatem in satisfaciendo, tum caeteris in rebus, tum in hoc maxime desiderio meo: quod an laudandum sit, nescio. Certe in viro ingenuo, et patrefamilias minime censeo vituperandum. Illa enim quae ad rem rusticam spectant, ea, in qua nunc sum aetate, videntur digna. Tu autem, quo mihi magis satisfaceres, tuae munificentiae etiam, destinandarum gallinarum et galli curam addidisti, quod a te non requirebam, cum id minime honestum videretur. Satis, superque satis erat mihi a te eam familiam dono dari, et Ferrariam usque conduci. Onus hujusce rei deinde ad nos mittendae aliis commissum erat. Sed cum tempus incidisset, ut tua opera tuto conduci possent, id oneris demandasti viro, et diligenti, et amicissimo mihi. Credo ut hujus totius actus conficiendi tibi soli gratias deberem. Itaque tibi habeo, debeo, agoque gratias ingentissimas. Nam loco maximi muneris hoc a te accipio, pro quo si facultas esset, uberiori tibi retribuerem, prout decet, mensuras; nemini cedo.

quod erga te gratior esset futurus. Unum est tamen, ut tecum tanquam cum altero me diutius colloquar, in quo non tuam, qui es sapientissimus, sed secretarii tui in litteris quas ad me scribis, prudentiam paulum requiro. Nam cum laborem hunc postremum tua sponte susceperis, scribis ad me his verbis. Jampridem hucusque feci conduci gallinas vestras, easque hodie, praeter eo quod meum erat, traducendas Florentiam curavi. Mallem dixisses laborem quem aliis demandaveram, te subire mei gratia voluisse. Et ut tuum erga me amorem plane prospicerem, te non solum donandi, sed ad me etiam deferendi absque alterius impendio curam et studium impendisse. Nam non erat tuum, id est, non intererat tua, aut ad te non pertinebat hoc gratissimum munus in me conferre. Non erat tuum onus hoc postremum curare, sed tua natura ad beneficientiam propensa hanc solicitudinem subisti. Scis officia ultro absque praecibus impensa jucundiora esse solere, quam quae praecibus emuntur. Itaque nescio gratius ne sit habendum id quod meo nomine rogatus fecisti, an quod a te ultro est ad me delatum. Utrumque tamen ita gratum fuit, ut nil mihi gratius facere potuisses. Sed haec tecum loquendi studio scripsi. Gallinae una cum gallo salvae ad nos pervenerunt, quae sunt ea proceritate et pulchritudine, ut pulchriores esse non possent; oblector earum venustate et forma. Quare satisfactum est mihi a te abunde et hoc ad reliqua tua in me beneficia, quae plurima

sunt, ascribam. Vale, et me, ut soles ama. Florentiae.

EPISTOLA XVIII.

Poggius pl. sal. dicit Nicolao Perotto.

Non respondi citius litteris, quas proxime a te accepi quoniam et parum otii mihi superest a curis, tum publicis, tum privatis, et pluribus scribendum erat, ut morem gererem voluntati tuae. Aetas quoque me tardiorem reddidit ad multa in quibus tum animi, tum corporis quieti consulendum videtur. Litterae tuae fuerunt mihi gratissimae, et officii plenae ac benivolentiae. Ego, mi Nicolae, majorem in dies voluptatem capio reintegrationis nostrae, quam utrique summae consolationi futuram puto. De me quidem ita existimes velim, me daturum operam, ut omni in re satisfaciam amicitiae nostrae, quod ipso opere experiere. Quod a me petis ut scribam aliquibus de reconciliatione nostra, et te purgem a suspitione criminis quae objiciebatur, ego tibi obsecutus sum. Nam cum duobus tantum de te scripsissem, reprehendens quid ultro me lacessises, repetitis superioribus litteris, epistolas dedi, quarum exemplar ad te mitto: hi sunt Joannes Arretinus Summi Pontificis Subdiaconus, et Franciscus Marescalcus Canonicus Ferrariensis quos scio gavisuros esse ex hac gratia inter nos reconciliata. Si quid a me amplius scribi velis.

libenter faciam quicquid noverim tibi gratum fore. Vale, et me ama. In primis autem me domino Legato commenda Florentiae.

EPISTOLA XIX.

Poggius pl. sal. dicit Joanni Arretino Subdiacono Apostolico.

Scripsi ad te olim causam meae contra te indignationis fuisse, ut scis, factionem fautorum Laurentii Vallae, cui suspicabar ne ultra quam spectaret ad te, virum prudentem mihique amicissimum, faveres. Et ne putares me frustra commotum, misi ad te epistolam Nicolai Perotti, quam adversus me scripserat, nulla in re a me provocatus, sive impetu quodam adolescentiae effervescentis, sive ab aliis impulsus. Dixi quoque scripsisse illum contra me orationem quamdam, credo magis aliorum hortatu, quam sponte sua; cui necessario respondi, ne viderer tacendo alteri cedere adversus me insurgenti. Secuta est postea non tantum suspitio, sed verisimilis conjectura quaedam, parasse illum sicarios in meam necem, quod mihi et amicorum litteris, et cujusdam verbis nuntiatum fuit. Sed postea plane compertum est eam suspitionem mihi falso fuisse objectam, ipsumque Nicolaum hujus criminis insontem; quod mihi, et litteris reverendissimi domini mei domini legati, et duobus ipsius Nicolai, multorumque

praeterea qui mihi sunt summa conjuncti benivolentia epistolis, est persuasum. Sed epistola Nicolai posterior, se purgantis et mihi amicitiam pollicentis, cum mihi humanissime scriberet velle me sibi esse parentis loco, multaque praeterea quae ad nostram reconciliationem spectarent, effecit, ut non solum suspitionem deponerem jam conceptam, sed omnis praeteriti temporis injuriarum oblitus, pollicerem me sibi et parentis, et amici officia, deposita praeteritorum memoria, praestaturum. Haec ad tuam consolationem scripsi, quem scio hominum tibi amicissimorum reconciliationem benivolentiae summa cum animi voluptate auditurum. Ego is sum, mi Joannes, quem humanitas, et boni viri officium ac doctrina ad amorem facile possit allicere. Maledicos et detractores non facile patiar, et iniquo animo feram. Nicolaum vero deinceps ita omni charitate complectar, ut omnes intelligant me nemini cedere in amicorum benivolentia conservanda. Vale, et me ama.

EPISTOLA XX.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco V. C.

Scis verborum dissentionem, quae nuper fuit inter me et Nicolaum Perottum, ex qua secuta est suspitio quaedam consilii adversus meam salutem initi, quam postea comperi falsam esse: ex litteris enim nonnullorum amicorum, et verbis

etiam, certior factus eram insidias vitae mihi ab eo paratas esse, qua re vulgata ex plurium, et ipsius Nicolai etiam epistolis, se ab eo crimine purgantis, inanem esse comperi ejus rei conjecturam, quae tunc verisimilis videbatur. Non solum autem Nicolaus se purgavit a crimine, sed amicitiam mihi obtulit, quam libenter amplexus sum. Decrevi enim, obliterata praeteritorum memoria, eum habere loco filii nihilque deinceps, aut loqui, aut scribere, in quo nomen suum aliqua in re offendi possit. Ipse ad me jam tertio scribit perhumaniter, et ita, ut plane confidam mutuam deinceps inter nos charitatem fore. Nam et natura mea propensa est ad benivolentiam, et ipse deinceps, rejectis malis suasoribus, aget ea quae spectent ad amicitiae nostrae conservationem. Credo enim magis aliorum impulsu quam sua voluntate ad scribendum contra me prosiluisse: sed ut videor hoc discidium utile fuit, quo firmior, reintegrata benivolentia, futura esset amicitia nostra. Hoc ad te scribo, quia scio id tibi jucundum fore, tum ut intelligas mei officii esse habere Nicolaum filii loco. Ago gratias Episcopo pro Gallinis suis, qua in re mihi admodum satisfecit. Tibi quoque gratias ago, qui pro iis obtinendis intercessor et operator fuisti. Vale et me ama. Florentiae.

EPISTOLA XXI.

Poggius pl. sal. dicit Hjeronymo Guarino V. C.

Recepi a te duas epistolas, priorem pluribus versibus, alteram paucis versiculis scriptas. Commemoratio meae erga te pristinae benivolentiae, tuaeque erga me observantiae, est mihi gratissima, qui te semper ut filium dilexerim propter imitationem paternae virtutis, quam semper in te conspexi. Ego, ut olim veterani milites solebant, emeritis stipendiis, et exacta jam aetate, me in patriam recessi, in qua et otio fruor et animi quiete. Sum praeterea in ea dignitate, qua nullam hic ampliorem vir a studiis humanitatis minime alienus posset consequi. Itaque et laborum et peregrinationis finem feci vacans majori ex parte ad quietem et memoriam futurae vitae. Quod autem a me petis, ut certum numerum epistolarum ex omnibus meis excerpi atque excribi faciam, esset mihi nunc difficile perquirere quae elegantior, quae minus inepta videretur. Orationes vero funebres sex tantum edidi, quarum quae sit melior, non est mei judicii, sed aliorum, qui acrioris sunt ingenii ad judicandum. Quare si omnes cupis habere, dabo operam ut non magno praetio transcribantur. Si propinquior esses, mitterem ad te codicem epistolarum ut excerperes quas velles; sed cum longe absis, non est committendum ut possint incidere in latrones. Feci

excribi unum volumen in decem libris distinctum, misique ad Albertum Parisium Cancellarium Bononiensem; ejus impensa ad quatuor Florenos de nostris ascendit: si tu idem fieri a me velis, scribe, et obsequar voluntati tuae: vel si tibi cum Alberto aliqua necessitudo est, roga illum, ut libros ad te mittat. Non respondi antea litteris ejus quia quaerebam scriptorem qui denuo scriberet, ut ad te, vel ad alium (nam id multi petunt) mitterentur. Vale, et quid a me fieri cupias, me facias certiorem. Florentiae.

EPISTOLA XXII.

Poggius pl. sal. dicit Joanni Canonico Remensi.

Quamvis ex multorum excellentium virorum praeceptis et ex pluribus meis collocutionibus percipere potuisti, quid in sacerdotibus requirendum, quae vita, qui mores in eis maxime probandi essent; tamen nunc cum longius absis Ecclesiae Remensis Canonicus, volui et nunc quoque, et litteris, si forsan praeteritorum oblivio te coepisset, commonefacere quae agenda tibi quaeve evitanda potissimum arbitrarer. Scis te a me amari tum propter virtutes tuas, quae effecerunt ut te non secus omni benivolentia complecterer ac si te genuissem, tum quia cupio verbis meis quamplures fieri compotes vitae melioris. Intellexisti enim cum mecum diutius fueris domi, laudari a me semper eos quibus virtutis cura esset ac

probitatis, cum absque his nec recte degi vita praesenti ullo modo possit, nec bene aestimari de futura. Verum difficilis et ardua virtutis cognitio ac possessio semper fuit, propter multiplices morbos animi, qui rationem impedientes ab recta nos deducunt rationis via. Quam ob rem si qui ad virtutem, hoc est ad vitam beatam aspirant, primo effugere, et expellere vitia oportet et in primis ea quibus major pernities nobis imminere videtur. Non enim possunt virtutes ingredi in animum scelestum et vitiis occupatum, quoniam contraria nequeunt invicem permanere. Prae caeteris autem avaritiae non solum crimen, sed suspitio fugienda est, quae, ut dicitur, omnium radix est et principium malorum. Nullum enim scelus, nullum flagitium tam grave est, aut tam absurdum, quod non leve avaro et concessum esse videatur. Non prosequor longius, nam multorum exemplis comprobatum est, quot ex ea provenerint hominibus mala: hoc dixerim, avaritiam solam, si sapientibus credimus, caetera omnia maleficia complecti. At ea tum in omnibus hominibus culpabilis est, tum maxime in sacerdotibus abominanda. Nam cum in reliquis quamdam aliqua ex parte probabilem, aut verisimilem causam avaritiae afferre homines soleant, tum propter natorum, tum propter familiae curam, tum propter varios sumptus, ut non solum parcum, sed avarum esse interdum quodammodo videatur esse concessum, in solis sacerdotibus, qui patrimonio Christi suffulcti nullius rei egere possunt, nequa-

quam ulla avaritiae tollerabilis causa afferri potest. At ii quo ditiores fuerint eo evadunt communi morbo avariores, quod non novum sed perantiquum illis vitium fuit: semper enim id genus hominum legimus ac vidimus avaritiae studuisse, et divitiis cumulandis. Tu ergo ab hac labe morum et vitae corruptela omni cura caveas velim, tantum desiderans, tantum appetens, quantum satis sit futurum ad sustentaculum vitae. Nam quae stultitia est solertem esse et occupatum in iis rebus comparandis quae nullius usus nobis essent, nec solum non profuturae post obitum, sed etiam nociturae? si tamen aliquid ad incertos temporum casus et fortunae impetus servares, ut tibi et aliis prodesse queas, non est vituperandum. Tamen modus adhibeatur rerum omnium moderator. Nolo effundas si qua adsint fortunae bona, neque inconsiderate projicas tanquam illorum odio motus, sed utaris ope sua ad tuam et egentium sustentationem. Non sunt haec projicienda, sed collocanda; nolo te avarum esse, sed ne prodigum quidem; parcitatem sequi laudabile est, quae res videtur esse difficilis, cum sit arduum tenere medium, quod sapientes volunt. Sequitur deinde luxuria, multiplex vitium, cum in vestibus, in verbo, in culto corporis in ornatu domus in carnis concupiscentia luxuria dici queat. Multi ab avaritia integri fuere, quos luxuria fregit, blandum malum, et quod ab omni genere animantium expetatur. Hac in re nullus est tutus nisi fugiendi modus, declinandique omnem illius contagionem.

Hoc solitudo, abstinentia, cibi vinique parcitas praestabunt; quae multum proderunt ad libidinem perdomandam. Praecipue autem consuetudinem et familiaritatem foeminarum tibi interdicas. Nam oculi ad concupiscentiam invitant, quam difficulter reprimes, nisi removeris aspectum earum rerum, quas naturae quaedam licentia videtur appetere. His duobus vitiis si diligenter obstiteris, facilior tibi aliorum expugnatio erit. Nam invidiam, emulationem, obtrectationem, odium, iram parvo negotio poteris compescere, quae cum nunquam in te esse conspexerim, non monebo ut ea caveas a quibus semper abstinuisti. At illud vero hortabor, quod omnium est virtutum caput, ut cupiditates fugias sub quibus caetera latent mala. Omnia tibi satis abunde erunt si compresseris cupiditatem. Illa rerum fugiendarum libidinem subministrat. Ex ea malae omnes descendunt cogitationes, illa virtutum est omnium inimica. Quid est enim avaritia, nisi fortunae cupiditas nimia? quid luxuria nisi cupiditas explendi corporis voluptates? quid injustitia, nisi dandi, aut auferendi aliena cupido? quid ira, nisi cupiditas injuriae ulciscendae? Itaque si cupiditatem a te repelles, omnem vitiorum materiem amputabis. Illa praeterea tibi animadvertenda videntur, si nostri Salvatoris praeceptis haerere velis, quae ad pietatem et charitatem pertinere videantur, quae qui colunt, legem Altissimi adimplent. Nam in charitate ea omnia continentur, quibus Salvatoris misericordia allicitur ad salutem nostram. Non te hortor, nam

supervacaneum videtur, ut ea facias, quae si omiseris, magno scelere te astringeres, ut memineris ita te vivere ex altari, ut ei servias, ut celebres, ut divinis horis intersis, ut Deo continuis orationibus pro sua in te munificentia gratias agas, ut ores pro populo, ut cogites te sacerdotem esse: haec enim, et levia sunt, et clericorum professioni accommodata. Nam quid ego te admoneam ut crapulam fugias, quod vitium tum in omnibus, tum maxime in viris ecclesiasticis est detestandum? Non potest vigere animus, neque ratio suum officium exequi in corpore cibis et potu referto. Quare danda est diligens opera, ut in te animus imperet, corpus serviat, quod in maxima parte mortalium, quorum Deus venter est, secus videmus contigere, cum deduxerint animum in vilissimam corporis servitutem. Tibi vero qui militiam Dei suscepisti enitendum est, ut animi imperio gubernaris; ut ratio superet sensuum cupiditates; ut virtutis instituta quid tibi sequendum sit subministrent; ut ea fugias quae in aliis videris esse culpanda. Nam optime instituet vitam suam, qui, quae in aliis errata cernit, sibi proponit esse propulsanda, quique alium tacitus reprehendens mentem revocat ad errores suos. Quare eam tibi normam ante oculos proponas, quam in aliis requiris: haec si egeris in diem te castigans, et corrigens, melior profecto evades, et tum hominibus satisfacies, tum consules animae saluti, quae prae caeteris rebus optanda est. Haec ad te scripsi paucioribus quam

rerum gravitas requirat, tum sponte mea, tum etiam rogatu tuo, quem confido ita instituturum deinceps et vitam et mores, ut nequaquam frustra a me admonitus fuisse videaris. Vale, et mei memor.

EPISTOLA XXIII.

Poggius pl. sal. dicit Alphonso Regi Aragonum Principi optimo.

Si unquam antea prudentia rege digna usus es, Serenissime Princeps, nunc procul dubio tantam in hoc perficiendo pacis opere ostendisti, ut non solum prudens ab omnibus, verum etiam sapientissimus merito iudiceris. Docuisti profecto in hoc tam sancto communis concordiae negotio, te propter publicam Italiae totius utilitatem, magis componendae pacis quam belli gerendi rationem habere voluisse. Qua in re quantam laudem, quam eximiam, quam singularem fueris adeptus, omnes sunt testes Italiae provinciae, quae perpetuo famam tuam, tanquam quietis et concordiae opificis, grata memoria celebrabunt. Non ignoras quam suave, quam dulce, quam salutare sit nomen pacis, quam utile singulis, quam omnibus concupitum, ut qui se illius auctores profiteantur posteritatis memoriae, tum litterarum monumentis, tum fama hominum commendentur. Sed praeter laudem insignem quam modo es consecutus, hoc maxime fuit consilii et prudentiae singularis.

quod tuo facto tibi simul et publicae Italorum tranquillitati consuluisti. Magnum sane tibi et posteris robur et firmitatem ex hoc communi pacis foedere adjecisti ad regni tui conservationem. Quis enim tam potens erit, qui vires Italiae adeo unitas, adeo unum sentientes, non reformidet? Quis tam audax, aut tam imperiosus, qui ejus partem aliquam conetur lacessere, cum senserit universam Italiam ad mutuam defensionem et auxilium convenisse? Maxima igitur tua virtus et sapientia haberi debet, ac omnibus saeculis praedicanda, cujus ope et publicae omnium quieti pacique provisum est, et locus tum tibi, tum caeteris id optantibus datus vacandi aliquando ad defensionem fidelium contra potentiam Teucrorum. Nam quamvis nonnulli sint in populo Christiano principes, quorum potentia praevalida est, et virtus praeclara, qui id onus subire possent, si vellent, tamen absque Italiorum viribus, qui classibus plurimum possunt, difficilis videtur dari aditus ad exercitus hostium terra marique superandos. Quare facilior nunc videtur, Italia unum sentiente, ratio belli adversus infideles gerendi, praesertim maritimi, in quo maxime videntur consistere victoriae fundamenta. Nam cum terra marique armis sit decernendum, utrumque vero bellum minime ab uno administrari possit, maritima utilior expeditio ac multo illustrior et gloriosior est futura. In ea quippe universi belli robur, eventus et fortuna consistit, ut qui illud ex voto confecerit, majore ex parte totius operis laudem sit

reportaturus; qui enim classe hostem superaverit, terrestrem victoriam aliis facilem praebebit. Audivi quosdam egregios pace et bello viros asserentes, nunquam Teucros Europa pelli posse, dum illis mare pervium erit, dum ex Asia praesidia subministrabuntur. Quare necesse esse ut hostium classis superetur ac deleatur, si debilitari vires eorum, expugnarique velimus. Europàm ajunt corpus esse et Asia animam ac spiritus accersiri. Haec subsidiorum facultas eripienda est, si potiri victoria optamus. Haud procul a ratione abesse quae diximus facile apparebit, tum prisca legentibus gesta, tum cogitantibus etiam quae nostro tempore contigerunt. Xerses rex Asiae potentissimus cum in Graecia cum decies centenis millibus hostium vincto navibus Hellesponto maximo cum terrore Graecorum omnium transisset, Themistoclis virtute classe victus, ne a reditu intercluderetur, relicto exercitu qui ferme totus fame, peste, inedia periit, parva navicula cum paucis in Asiam transfretabit. Antiochius, ac Mitridates prius maritimis bellis quam terrestribus sunt devicti. Itaque haec prior expeditio consumanda est, quo facilius atque expeditius terrestre bellum reddatur. Verum consideranti mihi quinam aptior reperiri possit inter Christianos principes ad hanc causam defendendam, tu certe primus occuristi, cum terrestribus copiis, maxime vero maritimis abundes ac parvo maris tractu sis hosti propinquus, a quo navalis expeditio prae caeteris suscipienda videatur. Arbitrantur omnes cum Italiam

consentientem ac faventem eis habiturus, tibi soli hanc ex hostibus devictis suis maritimam palmam deberi, in qua totius belli moles videtur consistere. Plures sunt Italiae opes, ut nosti, et magnis in rebus expertae, quae vel solae id bellum, ad quod omnes animati videntur, conficere possent, si virtus emulatione careret: sed capite illis et duce opus est, et tanquam signifero ad suscipiendam hanc maritimam expeditionem, ad quam nemo te aptior, nemo utilior, nemo accomodatior reperietur; qui rei militaris scientia, qui viribus, qui classe, qui animo, qui auctoritate, qui consilio rem ex sententia possis perficere et triumphare de hostibus. Egregia videntur certe quae ad hanc diem et pace et bello a te gesta sunt. Sed cum iis, quae pro fidelium defensione agenda supersunt, nequaquam ullo modo comparanda. Sunt illa quidem summa virtute animi, summa fide et clementia gesta magnifice. Sed nescio quo pacto bella, quae Christianorum caedem et sanguinem secum ferunt, in quibus multorum animae periclitantur, neque tam praeclara videri solent, neque tam laudari, neque tam pleno ore a fidelibus commendari. Existimant enim a nonnullis ambitione magis quadam fieri talia et regnandi cupiditate, quam praescripto, aut virtutis, aut Evangelicae doctrinae, quam sequi vere sapientum praeceptis admonemur. At vero quae pro religione, pro fide, pro tutela Christianorum, pro Dei reverentia ad salutem animarum geruntur, magnum praebent campum magnumque theatrum, in quo vere virtus

exerceri queat, vera laus et gloria evagari. Superiora laudent ii quibus ea aut questui fuere aut emolumento: caeteri non idem sentiunt, sed sunt ad commendationem rerum ejusmodi tardiores. A singulis enim aut extolluntur, aut deprimuntur pro animi libidine magis quam ratione. Illa vero, quae pro Christiani nominis defensione, pro Dei cultu, pro communi utilitate, pro incremento religionis et fidei agenda suscipiuntur, una omnium voce, uno sermone, uno plausu celebrentur oportet. Te regnum Neapolitanum armis, sapientia, virtute fuisse adeptum summae gloriae datur. At sunt etiam, qui eam verbis minuant: Sunt quibus id placet, sunt quibus summe displiceat, ut qui pro animorum affectione in contrarias sententias distrahantur; ut ejusmodi gloria saepius in maledicos incurrat qui eam verbis labefactare conentur. Expeditio vero contra fidei hostes contra barbaros immanes, contra crudelissimas atque efferas gentes laudem exprimet, etiam ab invitis, qui ipsa veritate cogente victoriam tuam concupiscere, bonam fortunam praecari, favere vobis omnibus, laudem celebrare compellentur. Nullus enim tam iniquus erit rerum existimator quin in ea tam laudabili, tam justa, tam sancta causa non tibi faveat, non salutem optet, non superiorem in bello victoremque concupiscat. Est tanti profecto virtus, ut ametur etiam in hoste, ut etiam ab invidis praedicetur, ut eam inimici veneratione quadam prosequi cogantur; cujus scuto qui proteguntur, omnium superant detra-

ctorum aemulationem, omnia maledicorum tela contemnunt. Ducem Burgundiae principem ad omnia praestantissimum pauci e nostris, nisi fama, cognoverunt. At is propter affectum, quem pro tuenda fidelium incolumitate praesetulit, propter apparatum, quem adversus Teucrum moliri rumor est effusus, omnes diligunt, extollunt, summis ornant laudibus, et in ore omnium gentium vulgo ejus fama versatur. Imperatoris vero, ad quem ea cura maxime pertinebat, remissioris animi quam publica utilitas postulet prudentiam requirunt, dolentque illum adhuc negligentiorem videri in ea causa cujus patrocinium sumere, et se ducem reliquis praebere debuisset. Haec ob eam rem scripsi ad te liberius ut intelligas, quanta laus, quanta gloria te expectet, si vexillum Crucis sumpseris adversus fidei persecutores, si nullo modo hanc acquirendae hominum famae et eternae gloriae occasionem a Deo tibi concessam praetermiseris; si memineris hanc rem solam esse quae te possit efficere immortalem; si hanc unam esse cogitaris expeditionem, in qua veluti perfectior tuorum operum actus sit futurus. Equidem arbitror hanc expediendae salutis fidelium tibi facultatem ab Altissimo esse concessam, ut suorum erga te beneficiorum memor ei gratias uberrimas atque acceptissimas ex hac fidei tutela possis aliqua ex parte referre. Multi leguntur fuisse reges Christiani quorum rebus gestis sit nomen illustre; at illos illustrior prae ceteris fama conspicuos et venerandos fecit, quibus contigit ut suas curas,

suam operam, suam virtutem in reprimendis superandisque hostibus nostrae fidei collocarent, quorum semper vigebit nomen nulla unquam oblivione periturum. Aggredere igitur, gloriosissime princeps, hoc tam insigne, tam sublime ac praeclarum opus, quod nulla unquam aetate consenescat, nulla possit delere posteritas. Suscipe magno animo hanc maritimam expeditionem, quae tibi erit facillima, si ad eam converteris tuas cogitationes, qua nulla salutarior, nulla gloriosior, nulla sanctior, nulla fructuosior esse potest, neque desis existimationi, quam omnes de te jam conceperunt, ut tu solus sis potens hoc totum munus obire. Tamen aderunt suffragia eorum, quorum est opes Teucrorum vel deleri vel debilitari. Da igitur operam quaeso immortalitati quae tibi parata est, quam nulla magis alia in causa poteris adipisci. Cogita vitae hujus curriculum breve esse, gloriae vero longum atque immortale. Fac, ut id quod superest temporis, in eo bello gerendo colloces, quod tibi ad aeternam laudem aditum praestabit. Quid enim haec nostra vita est praeter umbram quamdam ad fumum ad modicum duraturam, nisi virtus eam vendicet ab occasu? Vides praeteritorum principum memoriam, ob res praeclaras pace et bello gestas, vigere inter omnes perpetuae famae dicatam, quos non solum imitandi, sed eorum gesta superandi oblata est facultas. Sic existimant homines tibi hanc victimam Deo gratissimam ejus templo offerendam esse, cui adsunt singula quae requiruntur ad id

sacrificium perficiendum. Tuae sapientiae est non solum satisfacere hominum de te conceptae opinioni, sed augere existimationem de tua virtute susceptam, et majori, paratiorique animo, quam opinentur homines, eam gloriam appetere, quae sit saluti animae futura, et laudi posteritatis accomodata. Florentiae.

EPISTOLA XXIV.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo Facio V. C.

Non scripsi ad te, posteaquam relicta Romana Curia in patriam redii, propterea quod et id temporum conditio prohibebat, et nihil interim acciderat in rebus meis, quod postularet officium litterarum. Nunc vero mutatis in melius rebus, cum liberior adsit te litteris provocandi facultas, memor necessitudinis nostrae, tuaeque pristinae in me benivolentiae, apprehendi occasionem quae se obtulit ad te scribendi. Scripsi Serenissimo Regi Aragonum epistolam, in qua laudo summam ejus in constituenda Italiae pace sapientiam atque hortor ad capessendam maritimam expeditionem contra Teucrum fidei nostrae hostem perniitiosissimum. Hanc epistolam (nam ejus exemplar ad te mitto) communices velim cum viro praestantissimo Antonio Panormita, et si vobis videbitur digna quae Regi detur legenda, capta temporis opportunitate, quae maxime in rebus omnibus observanda est, eam Suae Serenitati meo nomine

trudas, et quo animo illam accipiat, at legat, quidve de illa sentiat ad me perscribas, et simul addas judicium tuum, quod facio plurimi, cum sciam illud ab optimo animo et ex veritate profecturum. Vale, et quid agas, quid scribas, quid speres de futuris me facias certiorem. Erunt mihi tuae litterae, prout nostra amicitia postulat, admodum gratae. Commenda me regiae majestati. Florentiae.

EPISTOLA XXV.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco.

Binas litteras abs te accepi, quarum posterioribus mihi significabas reverendum patrem Episcopum Ferrariensem recepisse epistolam unam, qua ei gratias agebam pro gallinis ad me missis, et quod summe laetor, ei tibique epistolam admodum placere. Ego, mi Francisce, ex corde dilexi Episcopum, tum propter summam probitatem et virtutem quas in eo perspexi, tum propter eam, qua praeditus est humanitatem. Accedunt praeterea multa ejus in me officia mihi admodum grata, ut etiam si caetera deessent, ob sua in me merita majorem in modum esset a me diligendus. Neque vero quoniam longo intervallo disjuncti sumus aliqua ex parte abjeci memoriam suae erga me benevolentiae, aut pristinae necessitudinis nostrae. Non enim amicitia bonis artibus contracta de facili aboleri, aut

obliterari potest. Quare idem est animus erga ipsum meus, et eadem observantia, quae fuerat antea, cum apud Pontificem summum locum teneret; quoniam bonorum virorum est non fortunae, sed hominum virtutibus amicos esse. De Laertio Diogene, quem utraque epistola quaeris, nihil adhuc efficere potui scriptorum inopia: is qui antea Diodorum scripsit, aliis in rebus est occupatus. Si quod est in manibus absolverit, dabo operam ut satisfaciat nobis deque eo te faciam certiorem: si non semper aut tardius respondebo litteris tuis, culpato tantum senectutem, tum et publicas et privatas occupationes meas. Vale, et me ama, ac domino Episcopo verbis intimis commenda.

EPISTOLA XXVI.

Poggius pl. sal. dicit Episcopo Mutinensi.

Non egi tibi gratias, mi pater optime, pro dono quod tuo nomine ad me Tassonus tuus misit, quoniam nesciebam Romae ne an Neapoli esses. Nunc cum existimem te confecta pace rediisse, mei officii esse putavi, posteaquam re non possum, saltem verbis tibi gratias agere. Fuit donum dignum tua munificentia, egregium quippe et opulentius, quam anno superiore; ex quo habeo tibi gratiam quam possum. Nequeo referre nisi animo, et grata memoria liberalitati erga me tuae; id enim egisti, ut per universum

animum cogar in singulos ferme dies tui meminisse, etiam si essem obliviosus. Ego te semper amavi, tum propter singularem doctrinam et egregias virtutes tuas, tum sponte mea, qui semper doctos homines summa benivolentia sum complexus. Ad haec accessit munus tuum non impetratum precibus, sed ultro, quod gratius esse solet, oblatum; quae vel sola res, etiam si caetera deessent, me cogeret ad te amandum. Itaque merito tuo, quod minime posse fieri credebam, sentio maximum cumulum ad priorem amorem erga te additum esse. Haec scripsi paucis ut scias me haud immemorem tui, neque oblivionem fuisse causam taciturnitatis meae, sed scribendi, quae antea defuit, occasionem. Vale, et me ama. Florentiae.

EPISTOLA XXVII.

Poggius pl. sal. dicit Sanctissimo ac Beatissimo Domino Nostro Papae Calixto Tertio.

Non posset aut verbis, aut litteris exprimi, Sanctissime ac Beatissime Pater, quanto gaudio quantaque laetitia intellexerim assumptionem tuam ad summi Apostolatus culmen, et te adeo ad eam dignitatem assumptum, in qua bene administranda salus Christifidelium continetur. Videtur profecto Altissimi providentia statui, et conservationi Ecclesiae Catholicae consuluisse, cum eum sibi successorem in terris constituit, qui oves suas.

hoc est Christi populum, tanquam pastor bonus sciret pascere, et ab incursu malignantium defenderet. Cognovi te semper virum doctissimum esse, et ea doctrina excellentissimum, in qua justitia et aequitas continetur, ut non aliorum, ut multis contigit, arbitrio, sed tuo judicio verum discernens, rempublicam Christianorum sanctissime gubernares. Scio te optimis moribus et vitae sanctimonia ita aetatem omnem ad hanc diem transegisse, ut ne suspitionis quidem locum ullum malevolis praebuerit ad detrahendum; scio te variis in rebus gerendis ita versatum diutius, ut summam prudentiam, summamque laudem fueris consecutus. Scio in te summum consilium esse summamque animi moderationem, ut haec tot tantaque dona ab Altissimo in te congesta, non spem mihi tantum, sed firmissimum testimonium praebeant te a Creatore nostro prae caeteris nobis datum, qui optimis consiliis et singulari virtute religionem augeres, fidem defenderes, pasceres oves Christi, teque omnibus praeberes tanquam divinum aliquod bonitatis et sanctitatis exemplar. Scio tuam prudentiam, quamvis tempora mala sint, et difficillimum videatur in tam corrupto saeculo sequi vere virtutis iter, tamen difficultates omnes, cum nihil sit volenti difficile, superaturam. Aderit tibi propterea auxilium ejus, qui non elegit tuam sanctitatem in hunc tam excelsum locum, ut eam relinquat sua ope destitutam, sed ut perficiat quod incepit. Sed stultus ego qui tam sapientes aures verbis meis inanibus

obtundere audeam; sed charitas, quam annos quinquaginta ad sedem apostolicam gessi, benivolentiaque et devotio qua erga tuam personam dum erat in minoribus affectus sum, cogunt me esse in scribendo impudentem. Tua tamen humanitas patienter feret hanc insulsam verbositatem, ac stultitiae meae, quae a bona mente proficiscitur, indulgebit. Ego servulus tuus sum, meque commendo Sanctitatis tuae. Unum supplico B. P. ut dignitatem officii quo amplius quinquaginta annos functus sum, in me conserves, ascribasque inter caeteros. Cum enim quatuor Pontificum fuerim Secretarius, id, non quaestus, sed honoris conservandi gratia, cupio. Habes hic servum sine impensa, qui omnia aget, prout facultas erit, quae spectent ad laudem, honorem et statum Sanctitatis Tuae, quem conservet Altissimus sospitem ad regimen Ecclesiae suae Sanctae. Florentiae.

EPISTOLA XXVIII.

Poggius pl. sal. dicit Bartholomaeo Facio V. C.

[illegible]

Magnam pluribus de causis voluptatem percepi ex tuis suavissimis litteris, quibus respondes ad eam epistolam, quam una cum litteris regiis ad te destinaram. Gratum mihi fuit, quanquam nullo modo id dubitaram, tuam erga me pristinam benivolentiam recognoscere. Inciderat enim

tempus ut intermissione litterarum etiam amicorum conjunctio remissior videretur. Nunc reintegrata priori benivolentia, quae tamen nunquam intermissa fuit, gaudeo datam esse nobis facultatem mutuis invicem litteris colloquendi. Gratissimum vero est, et vobis placuisse epistolam meam, et tanto Rege laudatam, quod mihi summo honore esse puto. Est enim, ut scis, apud Ciceronem nostrum, eam vere existimari laudem quae a laudatis proficiscitur viris. Recte autem et amice fecisti qui exscribi epistolam curaveris, et ejus legendae onus susceperis. Scio enim eloquentiorem multo illam ex tuo ore visam, quam si alter legisset, de qua re tibi gratias ago quas possum. Nam tua pronuntiatio rem ex se parvam reddidit audientibus ampliorem. Antonio nostro Panormitae, et item Mathaeo Malferito, viris praestantissimis, verbis meis salutem dicito. Diligo eos, tum propter eorum virtutem et egregiam doctrinam, tum propter eorum erga me benivolentiam singularem. Scriberem ad te pluribus, et item litteras ad Panormitam darem, nisi cras rus essem profecturus, ubi paucos dies in visitandis meis praediolis commorabor. Sum enim deditior senectutis gratia rei rusticae quam antea; cum rediero uberiores litteras ad vos scribam. Haec paucis dictavi, ne viderer tardior in respondendo, quam nostra amicitia requirat. Vale, et me, ut soles, ama.

EPISTOLA XXIX.

Poggius pl. sal. dicit Petro Thomasio V. C.

Perjucunda mihi fuit epistola tua, mi Petre suavissime, quam hodie a te accepi, in qua et te vivere scribis, et multis occupationibus detineri. Scio te vivere, et ea vita, quae vera est, hoc est, quam ratio et virtus praescribit. Ego ad te scribens jocatus sum more meo. Sed postridie quam ad te litteras dedi, tua mihi epistola reddita est, in qua ad meas respondes, multisque disseris de medela podagrae. Ego te occupatum esse scio plusquam molesta sufferat senectus, qua in re de me ipso facio conjecturam. Plus enim mihi molestiae afferunt anni, quam quaevis alia occupatio. Etenim persaepe mei ipsius taedet: deficiunt non solum corporis, sed et animi vires neque in litteris eos, quos consuevi labores possum ferre, sed quiesco libentius quam solebam, et otio fruor non quidem omnino inerti, sed non tam fructuoso quam vellem; cudo tamen aliquid semper quod sperem mihi praebiturum esse longiorem vitam. Tibi quoque evenire arbitror, ut sis tardiusculus in scribendo. Adest maturitas jam nostra, ut fructum suum secum portet. Epistolam, quam Regi scripseram, non esse tibi redditam, moleste fero; postules eam a Joanne Pisano adolescente humanissimo, qui cum oratoribus erat: et item Dialogum meum legas volo, quem sibi

dedi ut excribi posset. Ego, mi Petre, amo te ut patrem, veneror ut virtuosum, colo ut doctissimum atque humanissimum virum; tu quoque me ama ut soles. Vale diu, et Vallenses valere sine. Florentiae die XX Maii.

EPISTOLA XXX.

Poggius pl. sal. dicit Mathaeo Malferito V. C.

Vespasianus Cartolarius, ut dicunt, ostendit mihi particulam tuarum litterarum in qua continebatur epistolam meam a serenissimo Rege et caeteris, qui in ejus lectione aderant comprobatam, tibi vero ipsi visum esse me in ea scribenda minime operam perdidisse. Idem scripserat mihi vir eloquentissimus Bartholomaeus Facius, cui ego reddendae epistolae curam demandavi. Gaudeo tanti Regis et caeterorum laudibus in meam epistolam collocatis; sed tui reliquorumque doctissimorum virorum judicio admodum delector: eas enim veras laudes scias esse, quae ab iis conferuntur, qui de eloquentia, aut doctrina recte judicare possunt. Ideo cum a te, Panormita, ac Bartholomaeo nostris laudetur lucubratiuncula mea, est ut plurimum laeter me id scribendi officium sumpsisse, existimans vestram sententiam pluris faciendam quam eorum qui aures tantum legentibus praebent, judicantque magis aliorum opinione, quam sua. Tibi igitur gratias ago, qui verbis tuis magnum ornamentum meis litteris

addidisti cumulastique tua in me merita, hoc novo beneficio meam epistolam laudandi. Haec scripsi ad te paucis ut intelligas mihi summe placere judicium tuum. Ego tuus sum ubicumque existam. Commenda me majestati regiae, cum tempus se dabit, quod est, ut scis, rerum omnium primum. Vale, et me ut soles ama. Florentiae die XXI Maii.

EPISTOLA XXXI.

Poggius pl. sal. dicit Joanni Bartholomaeo V. C.

Scribis ad me perhumaniter te studio eloquentiae deditum et Latinis et Graecis Litteris operam pluribus annis impedisse; qua in re tua studia multum tibi ad dicendi facultatem contulisse video. Cum autem legeris apud Ciceronem nostrum, non posse evadere eloquentem nisi qui fuerit in disciplina Philosophiae versatus, cupis sequi consilia Ciceronis. Deterrent te autem traductiones semibarbarae, quae sunt ab omni dicendi ornatu alienae, adeo ut ipsum fontem eloquentiae possent extinguere. Vereris ergo ne cupiditas perdiscendae philosophiae eloquendi copiam eripiat; necesse est enim, ut qua quisque arte exerceatur, ejus teneat verba, utaturque inconcinnitate quadam subbarbara omnis expers eloquentiae. Petis igitur a me consilium, quid existimem agendum tibi. Sed difficile est, mi Joannes, sententiam ejus ferre artis, quam quis

ignorat. Ego facultatis dicendi sum ignarus, et philosophiae ars a me abest. Tamen ut homo senex qui multa audivi, nonnulla legi, hoc suaderem, et tibi, et ceteris qui bonis artibus, et studiis humanitatis incumbunt, ut primo omni cura et diligentia dent operam Latinis Litteris, et Ciceronem legendo conterant. Itaque se in legendi scribendique usu confirment, ut non sit eis timenda oblivio praeceptorum; tum se ad philosophiam conferant, ut ornatum orationis philosophorum sententiis illustrent. Tantum tamen philosophiae tempus impendant, ut eloquentiae studia non intermittantur. Quanquam et tibi et aliis quibus Graeca facundia nota est, perfacile vitari poterit absurditas translatorum. Ab ipso enim Graecorum fonte philosophia aurietur ab iis qui Graeca norunt, quorum lingua nostra est copiosior. Quod tuam erga me benivolentiam praetefers, est mihi majorem in modum gratum. Nihil est enim jucundius quam diligi a plurimis, praesertim bonis et doctis viris, idque summae laudi dandum puto. Ego te absentem amico complectar animo, et te diligam propter aetatem ut filium mihi carissimum, quem hortor ad prosequenda quae coepisti studia litterarum. Vale et me ama. Florentiae XXI Maii.

EPISTOLA XXXII.

Poggius pl. sal. dicit Dominico Sabino V. C.

Facile est tibi in meam venisse familiaritatem, vir eloquentissime, cum sponte mea diligam doctos et praestantes eloquentia viros, non solum quos viderim, sed eos, qui mihi tantum sint epistolis noti. Sed vellem cum Florentiam veneris mecum locutus esses, quo faciliori aditu in nostram consuetudinem mutua benivolentia pervenisset: habent enim, ut scis, plus roboris verba, quam litterae, et majori animos devincunt charitate. Audivi te publice nescio quid legisse, et tuam eloquentiam et doctrinam ab omnibus comprobatam. Sed quod tunc defuit, resarciamus nunc vicissitudine litterarum. Ego in primis tuum ingenium laudo, et simul approbo consilium a te optime institutum ut in perdiscenda eloquentiae facultate, non rivulos, ut nonnulli insulsi, sectatus sis, sed ipsum eloquentiae fontem a quo omnis ad posteros dicenti ornatus et copia emanavit. Neque enim eloquens quisquam post Ciceronem fuit quin illum eloquentiae habuerit ducem et auctorem. Vides Quintilianum quantum honorem tribuat Ciceroni, quantum illum laudet, quantum extollat, quam verecunde, quam timide de eloquentia post Ciceronem se scribere profiteatur. Itaque recte facis, qui non ramulis haereas, sed stipiti in quo robur arboris et fortitudo consistat.

Nonnullorum tamen insulsitas et perversitas menti-Quintilianum praefert Ciceroni; pessime quidem existimant, et contraria a reliquis sentiendo se putant doctiores. Nos rectum judicium sequi decet, et per ejus vestigia incedere, quem omnes prisci lumen eloquentiae existimarunt. Quod me plurimum laudas, non possum dicere non esse gratum mihi, sed parcius id agendum est, in me praesertim qui scio quanti existimandus sim: novi vires meas, et quam tenues sint atque imbecilles, in dies magis cum eas experior cognosco. Quicquid tamen in me est hoc totum acceptum refero Ciceroni, quem elegi ad eloquentiam docendam. Certus sis quid fiat, quod an fiat adhuc incertum est, adero tibi auxilio et favore si quis pro te loquatur. Sed sunt nonnulli e nostris pro quibus ignarus tuae voluntatis jam intercessi, ut nequirem, honore salvo, ad alia consilia divertere: Hoc est, ut auctor essem aliud quam senserim sentiendi. Itaque non ducem, sed coadjutorem me habebis et testem virtutis et doctrinae tuae, in qua laudanda nequaquam cognosces me fuisse remissum. Vale.

POGGII

EPISTOLAE.

LIBER DECIMUS TERTIUS

EPISTOLA I.

Poggius pl. sal. dicit Guarino Veronensi V. C.

Merito accusas mi Guarine taciturnitatem nostram qui tanquam infantes ita raro inter nos litteris colloquamur. Non hanc amicitiae tanquam obliteratae culpam esse reor sed senectutis, quam natura ipsa effecit in omnibus rebus tardiorem. Credo tibi usu idem evenire quid mihi, ut libenter ocio fruar, potiusque legendi, quam scribendi labore delecter. Ut licet senectus soleat esse loquacior, scribenti tamen molestiam effugiat. Nulla oblivio amicorum me tenuit unquam, quos semper animo complector: quod si cujus in mentem venit, tu primus es, cujus memoria versatur in animo, ad quem saepissime etiam inter legendum mentem revoco. Considerabis ex tot egregiis doctrina et

eloquentia viris, qui in illa nostra antiqua achademia versabantur, te solum superesse nobis, quo cum tanquam alterum me, hoc est, cum amico loqui possim. Acquiesco autem in tui recordatione de quo saepius advenientes percontor, investigans de valitudine tua, deque liberis rebusque ceteris, quibus meae non sunt mihi cariores. Silentii nostri causam, ut de aetate sileam, praebere videntur nostrae occupationes. Scio tibi multarum rerum curam esse, quae tuum animum distrahunt a scribendo. Mihi quoque praeter privatas res multa publice incumbunt, in quibus plurimum temporis impertiendum est. Si quid vero superest otii, id legendo scribendoque consumo. Volo enim, si potero, aliquid extare monumenti studiorum meorum quod mandetur posteritati. Jam enim, ut inquit Varro, sarcinulae colligendae sunt, et de altera vita cogitandum. Hoc idem a te fieri intelligo. Cognovi enim ex tuis litteris te Strabonem facere latinum, quem an absolveris ignoro. Pergratum mihi feceris, si non solum quid egeris scribes, sed si miseris quod egisti. Summe quidem desidero id opus legere, quod esse egregium perhibetur. Quod scribis audisse te, me in laudationem clarissimi quondam viri, doctissimique Manuelis Chrysolori nostri scripsisse, vellem id verum esset; sed nil me esse molitum conjecturam debes sumere; nec tibi nullo pacto celaverim laudes illius quem habuisti non solum praeceptorem praestantissimum, sed optimum morum et vitae magistrum. Laudassem illum cum

ego in ocio essem, si licuisset per Cincium Romanum ejus condiscipulum, qui ejus laudandi munus sibi desumpsit. Ne autem ille existimaret me diffidere ingenio suo, tacui, ne viderer velle eam laudem sibi celebrandi magistri sui funus praecipere: sed et ipse nihil edidit, et mihi scribendi sustulit facultatem. Libentius profecto Manuelis, quam Cardinalis Florentini laudandi tunc officium sumpsissem. Uberior enim dabatur in laudibus suis vagandi campus. Nam et patria complectenda erat, de cujus laudibus infinita pene enarrari possunt; et doctrina singularis, et ejus viri eximia in omni genere virtus, tum mores probatissimi, tum castissima vita. Utilitas praeterea quam Latinis Litteris attulit, quae ante suum adventum mutae, mancae, debiles videbantur. Excitata sunt ejus opera ingenia ad Graecarum Litterarum studia, quae magnum doctrinae lumen nostro saeculo attulerunt. Tum ad eloquentiam commoti sunt permulti, in qua pristinum fere dicendi ornatum recuperatum videmus. Haec tot tantaque in eum virum congesta amplam laudandi materiam praebuissent. Hoc idem in morte clarissimi viri Antonii Lusci contigit, cujus laudationem cum me scripturum professus essem, et jam scribere coeperam, Cincius quoque se id omnino destinasse dixit quasi aegre laturus, si quid a me scriberetur. At et ipse tacuit, et me reddidit mutum. Alios tamen postea in funere ornando laudavi, pro quibus scriptae extant orationes. Quod Manuelis epistolas in volumen

coegeris, recte fecisti aliquam referre ei gratiam, a quo effectum est ut in omnes gratissimus esse posses. Habes epistolam longam; sed traxit me tecum loquendi voluptas. Est quoque ut qui diutius siluerint, soleant esse, cum coeperint, verbosiores. Vale, et mei memor.

EPISTOLA II.

Poggius pl. sal. dicit Reverendo in Christo Patri D. Francisco Episcopo Ferrariensi.

Admodum doleo, mi reverende pater, te tantam injuriam fecisse amicitiae nostrae, ut cum Florentiam veneris, ubi te facillima conveniendi facultas erat, discesseris, me inscio non solum adventus, sed etiam recessus tui. Nescio an tibi unquam molesta fuerit Poggii consuetudo. Id si est, ignosco tibi; sed nil recolo a me commissum, cur loqui mecum, hoc est, cum altero te contempseris. Fecisti summam incuriam amicitiae nostrae, quae a bonis profecta initiis, nequaquam videtur esse obliteranda. Si abs te oblivione factum est, nimium cito oblivisceris ejus rei, quae diuturnior esse debet, tum propter meam in te observantiam, tum propter multa erga me officia a te profecta. Si negligentia, non videor esse talis, ut a te sim contemnendus, qui eos, qui non multo quam ego sunt praestantiores, diligas, et more tuo plurimi facias; tamen oblivio tolerabilior est negligentia. Obliviscimur saepius

parentum ac liberorum, quod quandoque in tempore tolerabile videtur esse. Negligentia vero proficisci a contemptu consuevit. quod vitium in viris humanitate praeditis raro esse solet. Non possum indignari tecum, quem semper colui ut parentem, observavi ut amicum. Quid mihi censes animi fuisse cum paulo ante prandium loquens cum praestantissimo viro Angelo Acciarolo equite Florentino. ab eo intellexi se tecum externa die confabulasse, maneque recessisse diluculo? commotus sum, mihi crede, vehementius admiratione, magis quam indignatione. quanquam utraque res in unum coacta animum irritavit. Ego mane palatium visito; ante quartam decimam horam domum proficiscor: ubi legendo, ac scribendo usque ad viginti oram otio fruor honesto, deinde ad palatium redeo percontatus si qua in re officio meo sit opus. Raro per urbem vagor, ut multi veniant, abeantque inscio me, qui vaco iis quae mihi legenda, aut scribenda proposui, adeo ut etiam persaepe deambulans sim domi cogitatione. Itaque tui adventus nulla mihi notitia data est. Haec scripsi verbosius ut castigarem paucis vel oblivionem, vel negligentiam tuam. Vale, si, ut soles, amas. Florentiae die X Junii.

EPISTOLA III.

Poggius Andreae Alamanno sal. pl. dicit.

Legi nuper epistolam, quam paulo ante ad te Alamannus Rinucinus scripsit, optimus juvenis et deditus studiis eloquentiae, quo cum est mihi jucunda propter doctrinam et mores ejus probatissimos vitae consuetudo. Laudo ingenium suum, et elegantiam in scribendo. Sed videtur mihi humanissimus et dicendo praestans adolescens longius in scribendo provehi quam illorum postulet utilitas, quorum gratia videtur scribere. Credo illum, fervore quodam communis utilitatis ductum, optare aliquem externum excellentem dari nobis oratorem, qui artem eloquentiae nobis tradat, tanquam sine illo nulla eloquentiae facultas possit percipi. Deplorat inopiam eloquentum ac excellentium doctrina virorum civitatis nostrae, et id recte facit. Pauciores enim sunt quam vellem, quamque esse consueverint aetate nostra. Sed ante Leonardum Arretinum erant viri docti et eloquentes: Colucius Salutatus studiorum omnium parens; Robertus Ruphus; Nicolaus Nicolius; quorum postea Leonardus Arretinus eloquentiam superaret. Secutus eum Carolus, magnum in dicendo ornamentum attulit civitati. Si pauciores sunt, quam vellet, quamque deceat tam inclitam urbem; non doctorum inopia, sed Rinucini et aliorum culpa accusanda est, qui, cum sint optimo ingenio

et humanitate praediti, ea studia intermittunt in quibus possent summam gloriam adipisci. Nescio enim quo pacto, cum Deus illis dederit ingenii acumen et naturam promptam ac proclivem ad eloquentiae disciplinam, non tamen ejus percipiendae studio illam curam impendunt, quam decet eloquentiae studiosos. Quod autem externum magistrum accersendum putat, videat ne erret opinione. Primum nescio cujus fastidii sit cives suos contemnere, magnifacere alienos. Neque autem video, cur externi nostris sint nullo modo in ea arte praeferendi. Neque enim illi egregii, quos optat, viri quicquam praestare possint amplius quam ut tradant artis rethoricae praecepta, quae cum sint in promptu, neque alia quam quae Ciceronis, et Quintiliani libris explicantur; non intelligo cur nostri non idem, et multo forsan melius efficere possint. Sunt enim in communi usu posita, neque magno egent ingenio ad docendum. Habet haec civitas saltem quatuor qui in tradendis ejusmodi praeceptis nulla in re cederent illis, quos Rinuccinus judicat advocandos. Quod si faterer illos esse paulo eloquentiores, meminerit nulla doctrina aut praeceptis ubertatem, facundiam, elegantiam, ornatum orationis, neque dicendi praestantiam tradi posse. Oratores, poetas, historicos, philosophos legendo ac tractando, continuoque usu ingenium crescendo, scimus fieri posse homines eloquentes. Accessit, inquit Tullius, cum de artis institutis tradidisset, usus frequens qui omnium magistrorum praecepta

superaret. Itaque non in docendi arte, sed continua lectione atque exercitio et declamandi solertia, quam quaerimus, eloquentia comparatur. Hujus rei ipsa experientia testis est. Nam ut a priscis ordiar, L. Crassus, C. Antonius, L. Caesar, Gracchi, summique eo tempore oratores a nullo praeceptore legimus eloquentiam hausisse. Cicero ipse in vigesimo quinto suae aetatis anno pro Cluentio et item pro Roscio oravit adeo eleganter, ut nulla ejus oratio tum ornatu verborum, tum sententiarum gravitate sit copiosior. At eum nullum dicendi magistrum legimus habuisse, sed assidua eloquentium virorum lectione, studio, diligentia, exercitatione scimus pervenisse ad eum dicendi gradum, ad quem nullus inter latinos accessit. Transivit postmodum in Graeciam non eloquentiae, sed philosophiae gratia. Audivit tamen oratores declamantes exercendi ingenii causa, non eloquentiae percipiendae. Neque enim quicquam erat quod eum fugeret in artis rethoricae institutionibus, neque postquam a Graecis recessit evasit eloquentior, sed forsan aliqua in re copiosior ad dicendum. Quid dicam de nostris qui hoc saeculo eloquentia floruerunt? primus Franciscus Petrarcha vir eloquens et scribendo suavis nullum nactus est in facultate oratoria praeceptorem, cum jam grandis natu a jure civili se ad eloquentiam contulisset. Ipsemet sibi dux et auctor fuit eloquentiae comparandae. Colucius noster omnium doctorum virorum communis parens cum antea rudis esset, non magistri opera, sed legendi

ac scribendi cura ad eloquentiam pervenit. Leonardus Aretinus, quem adolescentem memini a legum doctrina, quibus operam dabat, ad Graecas litteras se contulit: neque eloquentiae, in qua admodum laudatur, magistrum habuit ullum. Carolus Arretinus, Ambrosius Monachus, duo aetatis nostrae lumina, omnino praeceptoribus caruerunt. Robertus Rossus antea, et Nicolaus Nicolus, viri Latinis Litteris et Graecis praestantes, nullum habuerunt eloquentiae magistrum. Jannotius Manettus, quem merito laudat, vellem scire ab eo, qui excellentes praeceptores desiderat, quem habuerit eloquentiae institutorem? Nihil de me loquor, qui nullo modo sum cum iis, quos nominavi, comparandus; sed tamen testari possum quicquid in me est facultatis, me legendo, non audiendo, percepisse. Nihil enim praeter Ovidium. Virgilium et rhetoricorum libros a praeceptoribus audivi. Idem de omnibus quos quidem noverim eloquentes affirmare ausim, neminem eorum in perdiscenda eloquentiae facultate praeceptore usum. Itaque nullam video esse causam, cur adolescens doctus et dicendi cupidus Rinucinus noster tantum appetat externam doctrinam, cum domi habeat qui sciant haud insulsius quam caeteri tradere eloquentiae praecepta, et tanquam iter monstrare quo possit ad eloquentiam perveniri; nisi forsan praesentes contemnens more praegnantium quae novas res appetunt, fastidiunt consueta, ea desideret, quae nihil videntur esse profutura, cum quilibet natura adjuvante suamet

opera possit ad eloquentiam pervenire. Non est igitur externis praesidiis opus, cum patriis copiis uti liceat, et suo Marte pugnare. Quod autem nostrales adeo contemnit, videat ne multorum odium incurrat, qui forsan ei nequaquam cederent de via, dicerentque hunc docendi honorem non esse eis praeripiendum; affirmarent illos quos probat eloquentiores, nullis adhuc ad consequendam eloquentiam profuisse, neque aliquos suis praeceptis effectos esse in eloquentia meliores. At nostrorum doctrinam multis scimus fuisse adjumento in quibus jam eluceant et florescant eloquentiae semina. Nam quod queritur, apud tabernam nescio quam librariam nullas fieri inter doctos homines disputationes, sicut hactenus fieri consuetum putat: non opinor neque Jannotium, neque Carolum Arretinum, neque Leonardum penes eum locum more graeculi pedagogi disputare in triviis, aut bene vivendi institutiones tradere consuetos. Neque etiam perspicere possum, nisi de se sentiat, et loquatur, qui sint isti adolescentes eorum disputationibus eruditiores facti. Sunt tamen multi admodum docti, ac diserti adolescentes, in quibus ipse praecipuum locum tenet. Itaque cum haec cura externi praeceptoris advocandi, inanis, insulsa, inutilis, odiosa videatur, rejice animum tuum ab his cogitationibus, ad quas Rinucinus te hortatur, ac magis tuos cives diligas, quam alienos, praesertim in his rebus in quibus non videntur illis inferiores. Tuum est qui institutore non indiges, quique a me saepius

percepisti qua via eloquentiam acquiri possit, sequi iter incoeptum, tibique ipsummet praebere magistrum, praeceptorem, doctorem. Si caeteri has inanes curas ingredi volunt, sine illos obsequi cupiditatibus suis, et Rinucinum nostrum et litteris et verbis hortare, ut faveat suis, neque ea comprobet, quae ignorat, neque ad ea alios hortetur, quae nulla in re sint, aut sibi, aut civibus profutura, neque praeterea secum aliquem honorem importent, sed potius dedecus civitatis. Haec scripsi ad te verbosius ut noscas sententiam meam, quae semper fuit et est, ut potius nostram Minervam, quam aliorum in aciem educam. Vale die XXVII Junii.

EPISTOLA IV.

Poggius pl. sal. dicit Bartolomaeo Ghiselardo.

Vellem, ita me altissimus Deus salvet, posse satisfacere tuo desiderio in eo quod petis pro fratre, quem non minoris facio quam si mihi frater esset. Est enim frater hominis mihi amicissimi, quae conjunctio omnes alias excellat necesse est. Nam amicos semper amamus: sanguine vero propinquos aliquando odio habemus. Itaque si facultas daretur, abunde tibi pro mutua inter nos benivolentia operam navarem. Sed neque mei, neque cujusvis alterius arbitrii est electio officialis de quo scribis. Multae siquidem civitates in vasculum conjectae sunt, ex quibus una sorte

eligitur quae unum doctorem mittat ad id officium exercendum, prout in omnibus externis magistratibus hujus urbis servatur. Idem contingit de eo, qui pro tempore est praetor futurus. Civitas eligitur sorte quae praetorem destinet. Cui id accidat civitati, aut quem illa sit electura, incertum est. Omnes praeterea qui huc accedant, fulti veniunt necessariis ministris. Possem te facere certiorem ad quam civitatem sors pervenerit; tuum erit postea quaerere et investigare, ut cum eo, qui deputabitur, detur tui fratri dignus locus. Non igitur moleste feras non fieri quod non potest, cum id et publicis decretis, et consuetudine prohibeatur. Vale, et me ama. Florentiae.

EPISTOLA V.

Poggius pl. sal. dicit Stephano Auximano.

Redditae sunt mihi tuae litterae, quas legi perlibenter et summa cum animi voluptate; diligo enim te ut filium, et etiam perspicio te fieri in diem eloquentiorem ac doctiorem, quae res amorem solet augere. Scribis te esse secretarium reverendissimi patris domini Camerarii, petisque consilium, quod satis dubium videtur. Melius satiusque fuisset antequam in familiam suam pervenisses, scrutari, sciscitarique quid in rem tuam futurum fuisse videretur, dum res integra erat, poteratque liberius consilium dari. In omnibus rebus spectandus est finis, et ad illum

actus hominum dirigendi: quod si aliquando homines errant in deligendo vitae genere referendus est pes, et in melius consilia mutanda. Sed inprimis fugienda est inconstantiae fama. Ex praeteritis futurorum conjectura videtur esse sumenda. Vide quid aliis contigerit, et tibi illud idem eventurum puta. Neque vero consulo, ut spem pretio emas, temporis praesertim, cujus jactura maxima est. Habes istoc Episcopum Brixiensem, illum para intercessorem, qui te optime novit et te ab eo diligi opinor, si ex corde, non ficte, mecum locutus est. Nosse jam debes et mores et naturam patroni, ut non alio egeas monitore. Tu ipse tum ex praeteritis, tum ex praesentibus potes conjectari, quid de te sit futurum. Si tuos labores inanes aut esse aut fore intelligis, stultum est tot fortunarum et temporis subire damna. Tempus tibi consulet, cui sapientes praecipiunt nos parere. Si quid datur ex quo lucellum aliquod speres, rectius videtur certam rem praeponere incertae spei. Consule Brixiensem Episcopum, nam scio optima tibi consilia daturum, quae tamen nisi satisfaciant, utere libertate, et tibi ipsi consule, ne tempus nihil agendo teras. Scribam reverendissimo domino Cardinali, et te ei commendabo verbis intimis, prout meus in te amor requirit. Sum brevior quam vellem in scribendo, quoniam hic magistratus me impeditum tenet. Vale, et me ama. Florentiae.

EPISTOLA VI.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Aquilegiensi Camerario Papae.

Intellexi, reverendissime in Christo pater et domine mi carissime, Stephanum Auximanum esse Secretarium tuum, quo valde gavisus sum, tum propter eum, quem summe diligo, tum quia scio illum in iis, quae spectant ad officium suum, abunde satis tibi esse facturum. Est enim vir eloquens, probus, et moribus probatissimis, adeo ut honorem et laudem ad hanc diem sit consecutus. Mea intercessione fuit diutius Perusii cum Reverendo patre domino Episcopo Brixiensi, a quo valde amatur. Ejusmodi homines, qui doctrinam cum virtute conjungunt, amplectendi sunt, atque extollendi. Idcirco commendo eum humanitati tuae, rogoque, ut ad id, quod tua sponte in eum suis meritis, tuaque beneficentia collocaturus esses, aliquid addas, quo meas litteras sentiat sibi profuisse: quod aeque mihi gratum erit, ac si in me ipsum id officii contulisses. Vale, pater reverendissime, mei memor. Florentiae.

EPISTOLA VII.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Aquilejensi Camerario Papae.

Non scripsi tibi in primis, reverendissime pater et domine mi carissime, quicquam de restitutione domus, deque optima civium erga te voluntate, quia sciebam id significari tibi per oratorem nostrum, et ego insuper nolebam videri plus sapere, quam oporteret: et simul fugi suspicionem, ne existimares ad captandam a te benivolentiam me scripsisse. Nunc possum loqui liberius, cum, et huic dominio redditae sint tuae litterae summa cum prudentia et humanitate scriptae, et eis responsum sit, prout tuus honor et amplitudo, ac hujus loci dignitas requirit. Si dilata paulum restitutio est, non videtur mirandum, cum aliqua impedimenta essent quibus necesse fuit rem paulum differri. Non quin omnes prompti forent ad obsequendum tuae voluntati, sed quia ita honestas postulabat. Noscis etiam mores republicarum, quae solent in decernendo, cum multorum assensus requirendus sit, esse tardiores; ut etiam in iis, quae sunt utillima, et ferme necessaria, summa adhibeatur persaepe negligentia. Dispositio civium, et praesertim majorum, erga te est optima, cupiuntque omnia facere, quae sint grata tibi. Tuum est nunc oblita praeteritorum memoria sumere priorem quem

memini animum, ac verbo et opere in pristinam gratiam ac benivolentiam redire. Loquor tecum ut Poggius, hoc est, ut vir amicissimus tibi. Consilia rerum temporibus sunt accomodanda, ita tamen ut honesti ratio habeatur, utque semper viri boni officia sequamur. Illud Ciceronis sapiens dictum memoriae est mandandum, qui cum de beneficiis, quae impenduntur cum alterius damno loqueretur, ait, cui placet obliviscitur, cui dolet, meminit. Et cum ab Heraclito, ut opinor, philosopho quereretur, quod cito inter homines consenesceret beneficium, respondit, quod licet non semper verum sit, majori tamen ex parte quamprimum ex mentibus hominum evanescere. Hujus sententiae si memineris, magna carebis molestia. Non scribo haec quo existimem ea fugere prudentiam tuam; sed ut, confirmatus consilio hominis tibi deditissimi, reducas te in animi quietem, et libertatem. Audio te infinitis pene negotiis ac molestiis distrahi, quae omnino fugienda sunt. Ea enim es jam aetate, ut magis ocium quam labor a te sit exoptandum. Illius quoque sententiae in mentem veniat: invidiam, omnium malorum pessimum, esse evitandam, quae non vitia sequitur, sed virtutem. Utar tecum libertate scribendi, qua etiam in verbis uti consuevi, quae rogo ne sit tibi molesta: nam a Poggio proficiscitur homine tui amicissimo. Vale. Florentiae.

EPISTOLA VIII.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Sancti Angeli.

Non esset opus, reverendissime pater, ut sollicitarer ab aliquo ad scribendum tibi, si quid accideret, quod dignum litteris videretur. Dominus Otto de Nicolinis dudum orator ad vos noster me saepius rogavit ut aliquid scriberem reverendissimae paternitate tuae; quod hucusque dilatum est, partim privatis publicisque negotiis, partim studiis litterarum, quibus libenter me dedo, partim quandoque oblivione, quod vitium in senibus solet vigere. Neque vero etiam nunc aliqua res suppetit mihi, quae scribenda esse videatur, tibi praesertim, qui gravia quaedam et digna lectione scribi debent. Sed malo litteras meas inanes esse quam nullas. Si tamen velim scribere quae culpantur a multis, non epistola, sed libellus esset conficiendus. Sed omnia fieri in Curia existimo summa gravitate et consilio, quae sint maxime laudanda. Unum tamen vellem abs te significari mihi quatenus laudandum videatur, non jam cohortem, sed legionem, ut fertur, secretariorum esse factam, et virorum certe adeo eloquentia, consilio, moribus, doctrina praestantium, ut facile eorum ope viros Teucri, ad quod operam datis, debilitari queant. Hunc numerum tueri potest virtus scilicet, ac in omni re praestantia multorum qui creati sunt. Suspicor tot tantaque negotia et

gravia et ingentis ponderis agenda superesse, ut necessarium fuerit providere tot egregiis ministris ne operariorum paucitas immenso agendorum oneri succumberet. Haec scripsisse paucis volui. Nam si quid mihi videatur exprimi licito me posse, vereor, ne pluribus verbis obtunderem aures tuas. Ideo finis statuendus est mihi, ne vel invitus prolabar ad dicendum. Recommendo me tibi, rogoque ut mei memoriam conserves. Florentiae.

EPISTOLA IX.

Poggius pl. sal. dicit Petro de Noxeto V. C.

Scio, mi Petre, hanc meam dignitatem aeque tibi ac tuam esse carissimam, teque non secus ex ea laetari quam si tibi idem honor contigisset. Ita enim postulat mutua inter nos charitas et benivolentia, tum bonis coepta initiis, tum multis tuis in me beneficiis confirmata. Id quoque requirit principium amoris nostri, jucunda scilicet inter nos vitae consuetudo, ex qua firma amicitia oriri consuevit. Accedunt litterarum studia, similitudoque morum, quod unum stabile vinculum solet esse amicitiae conservandae. Itaque certus sum te mihi ex animo gratulari, quanquam ea quae videntur populo speciosa, quam anxia sint, quam solicita, quam exposita invidiae, et tu ipse expertus es, et multorum exempla testari possunt. Id mihi, ut ais, profuturum spero, ut filii deinceps

paratiorem viam sint habituri ad civitatis munia consequenda. In omnibus Deo gratias haberi decet, et ab eo vitae praesidia imploranda, qui solus novit quid sit nobis profuturum. Opto, ut aquae potio plurimum prosit valitudini tuae, sed servanda est norma, quae est potantibus praecepta. Itaque vaca, consuleque corporis saluti, ut anima in eo, tanquam in bene composito domicilio, libentius habitet. Facultas reducendi in Urbem easdem res, quae asportatae sunt absque ullo vectigali, intercessione et opera Vexilliferi justitiae, qui te multum diligit, tibi ab hoc magistratu libenti animo concessa est: eam ad te cum praesentibus mitto. Dixi quaedam Paulo qui mihi tuas litteras reddidit, ut tibi referat meo nomine. Non est opus ulla festinatione; temporum consilia sunt expectanda, quibus nos parere sapientes jubent. Vale, et me ama. Florentiae.

EPISTOLA X.

Poggius pl. sal. dicit Federico Comiti Urbini.

Laetor, princeps egregie, pietatem dare mihi aditum scribendi humanitati tuae pro re, quae mihi videtur honestissima, et ad boni viri officium pertinere. Scis ipso humanitatis et communis hominum societatis jure cogi nos ad opitulandum tum foeminis, quarum sexus natura est imbecillis, tum senibus, cum jam viribus deficiant, et praesertim inopia constitutis. Est mihi jamdudum

summa familiaritas cum Joanne qui dicitur *del Cischio* qui habitat in Burgo Sancti Sepulchri, et multis beneficiis non vulgaris inter nos benivolentia contracta. Is est inops, et aetatis decrepitae, ut qui jam quartum et octuagesimum excedat aetatis annum. Uxoremque habet et liberos pene infantes, ut neque pater filiorum nutriendorum onus sustinere, neque filii paternam senectutem sustentare in rebus vitae necessariis, queant. Ideo necesse est ut eo recurrant, unde alimenta vitae illis suppeditari queant. Debentur uxori Joannis jure hereditario, ut asserit, bona quaedam immobilia in terris tuae ditionis sita, quae si assequerentur, esset unde possent parentes liberique vitam ducere. Idcirco te rogo ac deprecor, si quid meae praeces apud te possunt, pro tua humanitate des operam, ut quae ad mulierem spectant restituantur ei, quo eorum inopia aliquo sustentaculo sublevetur, neque mendicare per eorum, qui bona sua possident, incuriam cogantur. Scis opus piissimum esse, ut et senectuti, et infantiae liberali animo succurramus. Scis charitatem esse Deo prae caeteris rebus acceptissimam, scis humanitatem laudari ab omnibus, et virtutem gratam singulis, et in principibus admodum laudandam; scis pietatem virtutum ferme reginam, cum ea omnes alias complecti videatur. Haec tot tamque praeclara nomina pro his pauperibus apud tuam prudentiam intercedunt, quae si quid poterunt, plurimum autem posse debent, maximam laudem consequeris, et tua virtute dignam.

Si ergo dabis operam, sicut tua postulat beneficentia ut bona hujusmodi, vel saltem major pars restituatur mulieri, donabis vitam exurientibus, et cibum praebebis famescentibus. Dulce est, inquit Cicero, serere beneficium, ut fructum fidei possis metere. Non assero ne videar magis bonitate causae, quam tua beneficentia confidere me petere opus quod videatur aut justum esse, aut pium, at quo multorum gratiam sis initurus. Id tibi confirmo te gratiam haud parvam facturum, tum mihi, tum nonnullis amicis tuis, et satis etiam in ipsa virtute gratiae praemiique esse a sapientibus disputatur. Vale, et me ut unum ex tuis necessariis ascribe.

EPISTOLA XI.

Cardinali Firmano.

Reverende in Christo Pater, et Domine mi carissime. Reverendus Pater et Dominus mei amantissimus Episcopus Mutinensis, cum ad hanc Civitatem nudiustertius venisset, eumque more meo ego visitassem, retulit mihi varios vos in meam laudem contulisse sermones. Narravitque quantam erga me ostenderis benivolentiam et charitatem, quae licet mihi jamdudum cognitae et perspectae sint, tamen ejus enarratio summam mihi attulit voluptatem, reddiditque animum meum tibi, si posset fieri, deditiorem. Colui enim semper virtutem et humanitatem tuam, et tuam erga me

affectionem praecipuam saepius et verbo et opere recognivi. Explicavit praeterea longo sermone virtutem, sapientiam, humanitatem, doctrinam, et mores optimos Sanctissimi Domini nostri Papae, ipsiusque erga rempublicam benivolentiam singularem, neque solum mihi, apud quem haec nota erant, sed multis ex majoribus civibus, haec ignorantibus, summa cum Suae Sanctitatis laude et commendatione, effecit notiora. Qua ex re factum est, ut nomen ejus celebretur et colatur ab omnibus, ut merito justus ac prudentissimus judicetur, ut omnes spem certam concipiant Ecclesiam Dei sub ejus patrocinio ab imminentibus tempestatibus emersuram. Nolo plura dicere, ne videar aut fingere, aut adulatoris officium assumpsisse. Sed tanta exorta fama est de virtutibus Suae Sanctitatis, ut major apud nos esse non possit. Haec scripsi humanitati tuae, ut etiam Domino nostro has litteras notas facias, tum ut Episcopus suorum verborum gratiam reportet; cura ut hunc philosophum paterna qua coepit benivolentia complectatur, et me quoque intelligat fidum esse, et fore servitorem Suae Sanctitatis, cui me humiliter commendabis, et ego me tibi commendo rogans, atque orans, ut Poggii tui memoriam conserves. Vale pater optime. Florentiae.

EPISTOLA XII

Poggius pl. sal. dicit D. Roberto Ariminensi V. C.

Scio Sigismundum nostrum cupidum esse laudis et gloriae, prout solent appetere ingenia praeclara, quale semper suum esse cognovi. Percepi ex verbis suis, et aliorum qui sibi adsunt desiderare aliquid a me scribi in ejus commendationem: hujus honestae cupiditatis memor, quemdam Dialogum de miseria conditionis humanae a me duobus libris explicatum ad eum inscribere institui, si modo ea digna res videbitur: quae edatur nomine suo. Ideo mitto ad te quemdam contribulem meum mihi fidum, qui libellum ad te ferat, quem oro confestim legas, et diligenter notes singula. Et si tibi videbitur res, quae sit futura grata principi, addas titulum principio libri. Certe existimo, etsi non reliqua, saltem prooemium te probaturum. Si vero minus opusculum placeret, aut tibi, aut illi, remitte per eumdem, quem biduo expectare jussi, et librum referre, ut alium eligam, cui labor meus non sit molestus. Antequam librum tradas exquire diligenter animum ejus, et si videbitur oesitare, aut titulare accipere munus, aut sua virtute indignum judicaret, remitte oro librum. Sed mihi crede, nulla est firmior laus, quam quae mandatur posteritati scriptorum opera, qui soli reddidere homines immortales. tempus forsan se

dabit, in quo alia scribens, potero incidere in laudes ejus et illas uberiori stilo prosequi; hoc ad praesens munusculum, tanquam degustationem mearum rerum, apud eum esse volo, quod si placebit, erit ut gaudeam, me operam susceptam non perdidisse. Sin vero minus, aequo animo feram, me tempus inani negotio consumpsisse. Vale, et rescribe: nam praecepi hunc expectare litteras tuas.

EPISTOLA XIII.

Poggius pl. sal. dicit Guarino Veronensi V. C.

Aegerrimis quidem pedibus, mi Guarine, venerunt ad me suavissimae litterae. Nam cum dies kal. Novembrium in eis adscripta esset, Idibus Decembris mihi redditae fuerunt. Sed mora effecit illas multo gratiores. Expectabam enim in diem responderi mihi, mirabarque virum in litterarum officio admodum diligentem videri tardiusculum in respondendo iis praesertim in rebus, quarum doctrina excultiores fieri solemus. Sed quo tardius epistola venit, eo jucundior ejus lectio visa est quae plurimum versatur in laudibus meis. Gaudeo, mi Guarine, laudari me abs te viro laudatissimo: pondus enim habent ejusmodi laudationes, neque inanes existimantur, cum ab eo prodeant, qui et ipse summa cum laude semper vixerit, et omnium commendatione. Scio non mereri me tam exquisitum laudandi genus, meque novi in-

teriorem esse tua de me praedicatione. sed nosti suavem hunc esse cibum. quem nullus unquam vir egregius est aspernatus. et ne dum non recusetur oblatus. sed appetitur ab omnibus. fere etiam infimis. et conditionis extremae. Nam sumus illa in re vel paulum cum priscis illis comparandi doctissimis. et eloquentissimis. quos scimus laudem et gloriam summopere expetisse. Demostenes ille Graeciae lumen eloquentiae dixisse fertur, nullam se vocem libentius audire. quam eam. quae suas laudes contineret. Ciceronem scis etiam a Papirio Peto, nobili sui temporis scriptore. postulasse, ut ejus consulatum litteris mandaret. Video etiam pusillos homines laetari plurimum, si quando se laudatos. quamvis immerito, sensere; et mos est Romanorum. cum quis praeter modum laudibus extollitur, dicere. Scis te minime verum loqui. sed tamen me laudari juvat. Ego quoniam diutius in Urbe vixi. si quod ab eis in hujusmodi re contagionis contraxi. non videtur mirandum. Itaque et ipse quoque, ut cum vulgo scriptorum proficiscar, non recusarem tuas commendationes, si paulo parcius id egisses. Nam quae a te in me conferuntur. majora sunt. quam pusillo homini convenire videantur. Sed accidit ob singularem tuam in me benivolentiam. ut cum omnia in me congesseris. quae ad praestantem quempiam virum pertineant, jejunius tamen quam tua ferat voluntas id tibi egisse videaris. Sed haec hactenus. Libros problematum Aristotelis. de quibus antea spripsi. mittam ad

te, cum primum nactus ero idoneum portatorem: eis velim utaris arbitrio tuo, vel transferendo, vel excribendo, vel dono accipiendo, quod erit mihi gratissimum. Unum volo scribas Baptistae filio, ut si quis librorum est in mea suppellectili, quo ei sit opus, id a me tanquam altero parente petat; spem suam, et expectationem tuam ipso officio superabo. Loquor tecum libentius, et pluribus verbis more senum, tanquam cum amico, id est cum eo, quo cum veluti mecum loqui putem. Vale, et me ama.

EPISTOLA XIV.

Friderico Imperatori.

Si ea aetas mea esset, quae labores itineris ferre posset, Serenissime Imperator, venissem ipse ad te profecto, ut praesens potius verbis Christi fidelium tecum causam agerem, quam tu te litteris absens compellarem. Citius enim verbis quam litteris scimus solere commoveri; viva vox, gestus, oculi, vultus, pronunciatio plurimum apud auditores proficere consueverunt ad animos commovendos. Verum quoniam annis impedior, nec facultas peregrinandi datur, pro viribus corporis utar qua possum ingenii facultate, ut in eo quod conceditur, adhortationibus scilicet, videar aliquid opis conferre ad defensionem. Scis, Auguste Caesar, duo esse capita praecipua Christiani populi, a quibus fidei cura et defensio

maxime requiratur. Primum Pontifex est, cujus tanquam animarum patris dignitas et auctoritas eminet adeo inter omnes, ut singuli illum Christicolae venerari debeant, et salutiferis monitionibus parere. Secundum Imperator locum tenet, qui tunc suo munere fungitur, cum ea agit quae tantum nomen postulat et requirit; si Ecclesiam Dei, si fidem catholicam, si Christianorum salutem tueatur, si hostes fidei exprimat et oppugnet; quae qui negligunt, nomen Imperii tenere possunt, veri imperatores modo nullo esse possunt. Hujus tantae molis officium multos olim Imperatores impulit ad defensionem fidelium, ampliationem religionis, et hostium fidei depressionem. Alii sua sponte in Asiam, alii in Syriam, alii in Aegyptum transiere, alii Africam petiverunt, ut fidem propagarent, ut inimicos Crucis Christi, aut tollerent, aut reducerent ad verae cultum Religionis, qui omnes summam et perpetuam laudem adepti sunt. Rari ex his, aut Pontificum, aut aliorum hortamenta rebus agendis expectarunt. Sed ipsi sua sponte longo maris terrarumque tractu immenso bella Crucis Christi hostibus intulerunt, ut Sepulchrum Domini et Terram Sanctam a servitute barbarica liberarent, quod effecerunt nonnulli summis in laboribus ac periculis longe a patria versati. Atqui haec eo tempore facta sunt, cum nondum Teucri in Europa dominarentur, ut non circa defensionem regionum, quae Christiani incolebant, sed circa invasionem, oppressionem, expugnationemque

hostium nominis Christi illorum opera versaretur. Secutus est postmodum annis paulo amplius nonaginta Teucrorum in Europam transitus accepta a Graecis Gallipoli: qua ex re universam fere Graeciam, Epyrum, Macedoniam, Traciam possedere, quod, tum a Pontificum, tum a Romanorum Imperatorum desidia, incuriaque manavit, cum nascens morbus parvo labore sanari potuisset. Erat tamen tanquam maris terraeque claustrum illis urbs Constantinopolitana, situ, magnitudine, et portu insignis. Erat in ea Imperatoris nomen, quod sibi Graeci post divisum propter urbis dignitatem reservarunt. Erat illa urbs tanquam firmissimus obex, apposita Teucrorum viribus, ut donec ab eo Imperatore teneretur, non viderentur canes illi barbari extimescendi, cum esset tanquam froenum, quo illorum impetus retardarentur. Nunc eadem incuria ac negligentia tanta urbs a barbaris capta est in opprobrium Christiani populi, detrimentum fidei, hujus saeculi ignominiam ac labem. Sed profecto valde admirari cogor, et tuam praecipue, et aliorum dominantium tarditatem; in vos, in vestrum caput, in vestras opes, urbes, provincias Teucri cupiditatem inflammatam videmus, vestras res expetit, sanguinem vestrum sitibundus quaerit, ad opprimendos eos qui regnant arma movet, non tantum de fide, quantum de imperio potiri. Scio Teucrorum non ut meas fortunas appetat tantum bellum moliri, sed ut tibi, caeterisque imperaturis dominetur, ut a vobis regna et principatus

auferat, ut vos habeat servorum loco. Pauperes ac mediocres in tuto esse videntur, quibus ubique serviendum est, tua et reliquorum Principum bona et status in discrimine versantur; tibi aut interitus aut dura servitus paratur, tibi reliquisque dominis tum fortunarum omnium, tum vitae pericula videntur incumbere, quo magis miror, cum secundus annus jam sit, quo urbs illa in potestatem hostium devenit, te ad quem id onus maxime spectat, velut instantium periculorum immemorem, ad hoc usque tempus otiosum ab armis fuisse, nullos fecisse apparatus, nulla subministrasse illis praesidia, qui quotidie bellis periculosissimis implicantur, nullos parasse exercitus, quibus illius furentis belluae insania perpulsaretur; quam rem omnes admirantur, queranturque, tantam dignitatem nimis tepidam videri ad fidei defensionem. Non sunt tibi, sicut olim caeteris, ulla maria navibus transeunda, nullae longinquae provinciae abeundae, nullae itinerum extimescendae insidiae; hostis fidei in propinquo est, nostra rapit, spoliat, comburit, caede et sanguine fidelium omnia replet in Christiani nominis contemptum. Neque vero is est hostis, qui aut negligendus, aut contemnendus, aut spernendus esse videatur, neque id tempus diuturniorem moram pati possit absque summa pernicie populi Christiani. Jam hora est de somno surgere, cum tempora mala sint, et summis periculis plena. Quamobrem cum Deus Optimus in hoc te fastigio collocavit, ut scutum fidei sumeres propter pe-

reuntium salutem, nolis deesse officio tantae dignitatis, nolis de te hanc famam vulgari, ut discrimina fugias, aut propter metum, aut propter ingenii tarditatem; memineris te Imperatorem esse, hoc est omnium fidelium defendendorum caput, ad quod respiciant singuli, ut ejus exemplo, aut arma sumpturi, aut communem salutem deserturi esse videntur. Memineris, oro, te defensorem Fidei a Deo esse constitutum, pro qua tuenda plures aut effudere sanguinem, aut vitam maxima cum gloria posuere. Nec tui officii est, hoc muneris, hoc dignitatis, ut vexillum Crucis etiam tua sponte absque alterius rogatu libens suscipias pro communi causa Fidei Christianae. Cum autem Pontificem habeas suasorem, hortatorem, impulsorem, qui te requirit, qui tuum auxilium poscit, qui ad te Legatum suum prudentissimum magnique consilii Cardinalem Sancti Angeli, unum omni virtute praestantem destinat, ut te roget, atque oret ad eam expeditionem suscipiendam, qua nulla utilior, nulla gloriosior esse potest. Querentur omnes fidei causam ab eo desertam, a quo minime oportebat, quanquam nullo pacto opinor tuam virtutem in hoc tam sancto opere remissiorem, quam tantam dignitatem deceat esse futuram, cum jam multa signa ostenderis tuae voluntatis primae ad Fidelium tutelam. Qua propter si ut coepisti, si ut Pontifex sperat, et omnes exoptant, te ducem praebueris ad hanc tam praeclaram expeditionem, tunc existimabunt dignum talem

virum tanta dignitate, cujus nomen et pondus suis rebus gestis tueri queat; tunc vives memoria omnium sempiterna, assequerisque talem laudem, quae sit omnem temporis longitudinem superaturam. Incumbe igitur omni studio, cura, diligentia te eum praebere in hac fidei causa, quem omnes judicent solum esse dignum, qui ejus victoriae palmam reportet, quae futura sit omnium praeclarissima. Es in eo gradu constitutus, ut nullum tuum dictum aut factum obscurum esse possit; in te unum respiciunt omnes, tuam operam expectant, tuum auxilium postulant, quibus, cum hujus expeditionis te caput et ducem praebueris, te omnes sequentur, et tibi praesidia subministrabunt. Si remissior videberis, aut tardior quam Christianorum respublica requirat, aut negligentior quam officium imperii postulat, vide ne praeter oblocutiones gentium, multa discrimina et tibi, et Imperio, et Germano nomini subsequantur. Nosse debes post Carolum Magnum divisum Imperium fuisse, et omissis Graecis alterum Imperatorem a Romanis et a Pontifice creatum, et deinceps et Graecum et Latinum Imperatores fuisse; demum vero tanti fastigii nomen resedisse apud Germanos. Graecus Imperator, amissa Constantinopoli sublatus est; tu solus relictus, in quo nunc tantum resideat splendoris nomen, obque ipsum et tibi et Germanis magni honoris cumulus accessisse putatur. Quo magis cogitandum est ac providendum, ne aliquo casu alter Imperator in ea urbe aliquando

erigatur, qui se verum Imperatorem appellet. Nam si per tuam et aliorum Germanorum negligentiam aliquis alius princeps eam urbem ab infidelibus liberabit, suscitabit sibi antiqui Imperatoris nomen, et forsan talis erigi posset, cui et Pontifex favebit, et reliqui Christiani ob sua merita haerebunt. Necessarium enim erit, ut et is favorem omnium consequatur, et ut ejus partes Pontifex tueatur, a quo maxime fidem adjutam constabit. Verum ne quo id casu accidat, futura enim incerta sunt et inexplorata nobis, videtur esse a tua prudentia obviandum. Velis igitur pro Christi Salvatoris nostri reverentia, pro animarum ejus omnium salute, pro tui nominis gloria, pro laude Imperii, pro Germanorum dignitate subire onus, quod, et salutem Fidelibus afferat, et tibi gloriam immortalem. Suscipe signum ejus, qui non deserit in se sperantes, et Imperii vires colloca ad extinguendas nationes barbaras, quae tam crudeliter in effundendo fidelium sanguine debacchantur. Habes Pontificem hortantem, faventem, propitium, qui firma subsidia pollicetur, habes regem Aragonum gloriosissimum Principem in hac tam sancta causa ad classem et terrestres copias subministrandas, habes Italiam consentientem ad defendendam communem salutem, habes plures principes, si tu coeperis, ad sequendum paratos. Sed omnes ferme in te respiciunt expectantes, quid constituas, quid agas, quid operis, quid laboris sis suscepturus. Peragravit olim Imperator Sigismundus fortissimus atque optimus

princeps omnem fere Europam, omnes Christianos adiit, ut quaereret Ecclesiae unitatem, quae postmodum secuta est. et certe nisi ipse suam operam, studium, diligentiam impendisset, adhuc scissura esset Fidei in populo Christiano. Sed ejus laboribus et vigiliis est effectum, ut unicum Pontificem crearetur, ex quo nomen ejus vivet apud posteros immortale. Magnam profecto utilitatem attulit omnibus gentibus unio et pax Ecclesiae Fidelium largita; magnum opus et plenum summis laudibus fabricavit, et quod perpetua laude celebretur. Sed non inferior utilitas, non minor gloria erit; si quis victoriam de Teucris reportet, quae res magis necessaria est Fidelibus Christi, cum majus periculum animabus nostris et patriae immineat a Teucrorum immanitate, quam ab eo schismate fuerit profectum: ab illis enim occiduntur Christiani, in captivitatem deducuntur, desolantur Provinciae, civitates et oppida vastantur, abnegatur fides, quae in schismate non contigerunt. Hujus virtutes, cujus recens est memoria, imitari debes, ut majorum gloriam adipiscaris. Tibi per semitas illorum, qui probati sunt, incedendum est, in iis praecipue rebus, in quibus fidei defensio consistit, ut ad futura tempora tua recte factorum fama transmittatur. Surge igitur; et in nomine Altissimi accipe vexillum Salvatoris nostri, quod gentes singulae sequentur, et venerabuntur; praebe te exemplum, atque auctorem et ducem caeteris. Exercitum para, iter aggredere, ut non videaris deesse tam sanctae

causae persecutioni, ut gentes et nationes videant, opes, dignitatem, vires, prudentiam tibi concessas collocare te in ejus obsequium, a quo illas recepisti. Nulli tuorum praedecessorum data est facultas tantae gloriae apud Deum et homines consequendae, nulli talis occasio tantae laudis comparandae, cum non solum tuis, sed aliorum opibus et potentia fretus, eorum opus, operam impensam sis in tuam laudem conversurus, traducturusque in tui nominis commendationem. Hoc si egeris, quod a tua dignitate requiritur, adipisceris gloriam, humanarum rerum proemium, quam nulla aetas sit obscuratura; Dei vero mercedem utiliorem, et veram retributionem bonorum operum, quae ob ejus reverentiam, cultumque impendes, hoc est aeternam inter beatos requiem et gloriam consequeris. Florentiae.

EPISTOLA XV.

Poggius pl. sal. dicit Baptistae Guarino.

Recepi nuper a te litteras, quas legi admodum libenter propter earum suavitatem, et meam in te benivolentiam, quamvis amorem dicere debuerim, cum te amem ut filium, tum quia ita requirunt excellentis animi tui dotes, tum propter virtutem patris, quo cum semper jucunda fuit amicitia, neque ulla intermissa unquam offensione: quod mirum nemini videri debet, si consideret quibus ab initiis sit profecta: eam

enim veram firmamque amicitiam esse constat quam optimorum et studiorum et morum similitudo contraxit. Itaque non solum ipsum amo quem alterum me esse puto, sed liberos quoque ejus adnumero inter meos. Te praecipue vero parentis vestigia imitantem omni charitate complector, hortor autem, ut illius laudem, gloriam, virtutem non solum imiteris, sed superes quoad fieri potest. Inolevit enim opinio quaedam raro parentum virtutem ad filios transfundi, quae a tua probitate atque industria abolenda videntur, ostendendumque nullum probitatis genus obseptum, aut clausum esse volentibus ad animi excellentiam pervenire. Adest ingenium, facultas, exercitium et paternae cohortationes, ut nemini sit dubium, si ut instituisti progredi volueris, te Latinis Musis magnum splendorem tua opera allaturum. Unum te, ut jam aliquod ab altero parente munus accipias, pro mea in te singulari affectione moneo, atque hortor, ut studiis doctrinae addas et honesti curam, utque virtutem ducem tibi constituas ad regendam vitam. Inutilis est enim doctrina vitiis inserta, quin potius perniciosa haberi solet; ut nulli dubium sit obesse studia litterarum in deteriorem animum collocata. Haec quamvis te optime scire intelligam, ut a patre optimo viro monitum, neque egere suasore, qui sis bene vivendi rationem tua sponte ingressus, tamen mea interesse putavi, a me quoque admoneri te eorum, quae te possunt, non solum praeclarum reddere, sed etiam meliorem. De

Donato quod postulas quaeram diligenter, et si quid reperero amplius, quam quod te habere scribis, dabo operam ut transcribatur, quanquam non valde utilis ejus lectio videtur, cum versetur in rebus minusculis, quae parum in se contineant doctrinae, eloquentiae minimum. Satis est Servius ad Virgilii expositionem, nam in quo ipse tacet, alii vero loquuntur. Vale, et me ama. Florentiae.

EPISTOLA XVI.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco V. C.

Recepi litteras tuas, quibus miraris me priori epistolae nondum respondisse, sed repelles admirationem omnem, si consideres occupationes, tum domesticas, tum forenses, quae mihi negotium facessunt, et etiam senex sum ferme capularis, ut necesse sit aliquid mihi otio et quieti impertiri. Curae quoque, quas necesse est pro re familiari subire, saepius retrahunt animum a scribendi cura. Itaque si aliquando tibi videor tardiusculus in respondendo, et occupationibus tribuas et aetati. Librum quem petis nondum edidi, expecto enim responsum ab eo, cui opusculum dedicavi; faciam tamen interim transcribi, ut, cum responsum venerit, ad te mitti possit. Credo laudabis laborem a me susceptum, si referes animum ad ea, quae edidere nostri saeculi scriptores. Quicquid tamen de eo sis judicaturus, necesse erit ut a te vel immerito laudetur, quo

operi auctoritas accedat ex amicorum commendatione. Credo sinistro fato gallinas olim ad me missas fuisse, nam et quinque ex eis furto ablatae sunt, et gallus, credo moerore ex amissis uxoribus suscepto, sua sponte diem obiit. Itaque omittam deinceps eam rusticandi curam. Vale, et me ama. Florentiae.

EPISTOLA XVII.

Poggius pl. sal. dicit Bornio Iurisconsulto V. C.

Nota est mihi jamdudum etiam multis in me officiis tua erga me benivolentia, et amor quidam singularis. Ego quoque ita te omni animo complector, ut nihil amantius fieri possit, quod saltem ipsis verbis ex me cognoscere potuisti. Quod a me consilium petis quid tibi agendum videatur cupienti ad Curiam reverti, res est sane parvi consilii; audio enim Curiam adeo non imminutam, sed prostratam et eversam esse, ut qui in ea sunt, utivis gentium malint, quam ubi sunt esse. Omnia enim in pejus conversa dicuntur, ut si illius mala deplorare vellemus, multis verbis res agenda videretur. Nam quod nil sanctum, aut justum, aut aequum in plerisque putas esse, vehementer erras: in omnibus et ubique ea labes esse videtur, nihil magis sanum aliis est in locis quam in Curia, quisque suos patimur manes. Communis est gentium, nationum, civitatum, hominum morbus, ubique regnant vitia.

ubique virtus parvo in praetio habetur, ubique avaritia est, ubique probitas rara, multorum latent vitia propter ademptam delinquendi facultatem, emersura certe latius, si potestas datur. Si possent animi hominum videri multa scelera, multae vitiorum cicatrices in illis conspiceres. Natura nos imbecilla pronos fecit ad turpia, quae rari homines virtute superarunt. Itaque quamvis a Curia exulare videatur virtus, et aliis in regionibus videbis illam proscriptam esse, et capite damnatam. Quare omissa caeterorum insectatione cogitemus, quid ad nos maxime spectet, quid sit nobis agendum, quid fides, quid religio nostra sibi postulet, et ut inquit Hieronymus, non quid mali ceteri faciant, sed quid nos boni oporteat facere consideremus. Quod autem ad Curiam Romanam pertinet, censeo ut ad praesens illius omittas curam, et ad meliora, quae forsan cito venient, te reserves tempora; interim vaca litterarum studiis, et virtutis praecepta sequere, quae te et paucis contentum esse docebunt, et omni cupiditate molestiaque animum liberabunt. Epistolam, quam petis, ad te mitto, licet nondum ad eum profecta sit ad quem scribitur; de qua quid sentis, ad me scribe. Vale.

EPISTOLA XVIII.

Poggius pl. sal. dicit Petro Episcopo Brixiensi.

Oblivione quadam subinsulsa effectum est, ut tibi jamdudum nihil scripserim, non quin te tanti faciam, quanti existimari decet virum prudentissimum, omnique litterarum genere praestantem, et quod his plus est, mei amantissimum, sed quia ita tempora postulant, ut scilicet taceam, ne aliquid rerum indignitas me scribere cogat, quod alicujus aures posset offendere. Difficile enim est hoc tempore satyram non scribere in tanta rerum omnium perturbatione. Itaque decrevi silere tecum, et cum aliis, cum neque de privatis rebus, quae quales sint nescio, neque de publicis, a quibus animus abhorret, possim loqui. Quapropter reliquis omissis te hortor, ut unico remedio, quo temporum molestias ferre solemus, uti velis, ut vaces, prout consuevisti, studiis et doctrinae, quae animum tuum levare poterunt ab omni rerum praesentium perturbatione. Ego quoniam cum vivis difficile est versari, quorum verba plurimum aversa sunt ab animi sententia, loquor cum mortuis, qui neque mentiuntur, et nos instruunt ad bonam vitam, neque aut morose, aut moleste ferunt eos, qui ad suam opem recurrunt. Si autem Pontifex esset ex iis, quos jam memini, non omnia officia penitus deplorata et eversa essent, forsan redirem ad prio-

rem vivendi libertatem, et consulerem tum corporis, tum animi quieti. Recommenda me domino meo domino Camerario, cui scio te deditissimum esse. Vale et mei memor. Dieciajutus si nomine meo requiret operam tuam, satisfacias oro desiderio meo. Florentiae.

EPISTOLA XIX.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Firmano.

Reverendissime in Christo pater et domine mi carissime. Tempora sunt in culpa, quominus tibi libere ut solebam scribere, et tecum jocari ad praesens possim. Dieciajutus loquetur tecum latius de rebus meis, deque etiam suis, quas tibi commendo ne injuriam patiantur. Hic nullum jus neque humanum, neque divinum in praetio habetur: libido mala omnia possidet, cui Deus provideat: sed quotiescumque in mentem venit nonnullorum ambitio, cogor execrari temporum culpam, quam solam culpare licet. Narrabit Dieciajutus proditionem mihi factam in quodam beneficiolo, cui tua opera obviandum erit, eam rem tibi commendo; cura ut tuo auxilio hisce occurratur fraudibus. Reliqua Dieciajutus narrabit, quae suscipe prout consuevisti in clientelam tuam. Ago tibi gratias pro ficubus, quas misisti, nam venerunt in tempore. Florentiae.

EPISTOLA XX

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Aquilejensi Camerario.

Reverendissime in Christo pater etc. Cum audissem te Legatum factum esse ad parandam classem contra Teucrum et maritimae expeditionis praefectum, pro eo honore, qui magni aestimandus est, sane gavisus sum, quoniam eam rem magna gloria consequetur. Sed tamen maluissem te in patria residere, et id laboris alteri demandatum esse. Quicquid tamen futurum sit, oro Deum, ut dirigat iter tuum, et eos praestet successus, qui sint ad laudem religionis et fidei suae augmentum. Confido tamen hoc onus ad alium perventurum. Multa enim tempora secum ferunt, quibus oporteat nostra consilia immutari. Ego tecum tacui diutius quam credebam, propterea quod nihil, neque in meis, neque in alterius rebus erat quod scribendum putarem. Nunc cum Dieciajutus familiaris meus ad Curiam redeat, nolui, ut absque meis ad te litteris veniret, et in iis, quae ad me, aut ad meos pertinent, operam tuam si requiret, satisfacias oro desiderio meo, qui a te omnia compatris officia expecto. Narrabit tibi idem quis sit animus meus, ut si venerit tempus, scias quid sis acturus. Vale pater, et domine mi carissime, mei, ut soles, memor. Florentiae.

EPISTOLA XXI.

Poggius pl. sal. dicit Jacobo Episcopo Perusino.

Reverende in Christo Pater, et Domine mi carissime. Retulit mihi Dieciajutus noster id, quod antea multis tuis in me officiis perspexeram, me a te amari, teque semper promptum fuisse ad faciendum singula, quae crederes mihi grata esse: pro qua re ago tibi gratias quas possum, rogoque ut tuam erga me benivolentiam conserves quandoquidem; tam ego sum tuus, quam qui omnium maxime, aut tui sunt, aut existimari possunt. Vellem ut animus in te meus aliquando meo opere tibi notus esse posset. Vellem aliquod tempus cum tuo commodo daretur, quo ostenderem quam grata mihi sint beneficia erga me tua. Vincerem tuam profecto de me opinionem. Vale, et me ama.

EPISTOLA XXII.

Poggius pl. sal. dicit Prospero Cardinali de Columna.

Non scripsi aliquid, Reverendissime pater, post discessum meum, quoniam nihil accidit, in quo aut mihi tua, aut tibi mea opera opus esset, neque etiam quicquam fuit aut publice, aut privatim, quod meas ad te Litteras postularet. Nunc

cum Dieciajutus mihi retulerit, quotiescumque eum videris, diligenter eum quadam eximia benivolentiae significatione de me, deque meis interrogasse, nolui, cum ipse ad Curiam rediret, non scribere hanc tuam singularem humanitatem mihi esse gratissimam. Etsi cum etiam praesens perspexi quantum me amares, quantique me faceres; tamen verebar ne more eorum, quos aut virtus, aut fortuna in altiori fastigio collocavit, deponeres paulatim pristinam tuam benivolentiam, et charitatem, quam semper erga me demonstrasti. Ago igitur tibi gratias pro tua hac erga Poggium tuum benivola affectione, rogoque, ut eam conserves, neque obliterari sinas; forsitan enim posset tempus contingere, quo denuo te viderem: non enim quo animum a libertate, ac suavitate Curiae, in qua inter multos amicos consenui, removere. Possum recte Romanam Curiam appellare civilem patriam, cum annos quinquaginta in ea vixerim cum honore et dignitate, et plurimorum benivolentia; naturali patriae multi civilem praeposuerunt. Vale.

EPISTOLA XXIII.

Poggius pl. sal. dicit Abbati . . . . . .

Venerabilis pater vir egregius Antoniolus de Soris Jurisconsultus, tuus, ut ait, consanguineus mihi nuper tuis verbis salutem dixit, multaque retulit de tua erga me benivolentia, quae quam-

vis antea propter mutuam consuetudinem nostram mihi nota essent, tamen quia tempora nos ad universa loca traxerunt, gratissimum fuit mihi audisse te non immemorem esse amicitiae nostrae. Vellem, aliquid tuo commodo accidere, quo perspicere posses animum in te meum; nihil enim esset tam difficile, quod mihi facillimum non esset, modo possem satisfacere desiderio tuo. Verum te audio eo in loco esse et dignitate, ut parum tibi sit opus alterius industria aut ope, de quo summe laetor, Deum rogans, ut tibi continuam felicitatem largiatur; te autem oro, ut si quid est, in quo mea opera uti velis, recurras ad Poggium tanquam ad alterum te; invenies me semper promptum ad omnia, quae noverim esse grata tibi, et quamvis sis in omni re prudentissimus, tamen, ut videas te a me diligi, memineris virtutem solam esse, quae nos Deo et hominibus commendet, cujus iter prosequere ut coepisti. Vale, et me, ut soles, ama. Florentiae.

EPISTOLA XXIV.

Poggius pl. sal. dicit Porcelio Poetae Laureato.

Ago tibi gratias, mi Porceli carissime, quod tuorum studiorum partem quamdam mecum communicare voluisti; id fuit mihi gratissimum, tum quia video te memorem esse mei, a quo scis te unice diligi, tum quia summe placet causam latinae linguae a te eloquenter et copiose contra

nescio quem insulsum rabulam, ut ais, esse defensam. Nam is mihi homo nequam cognitus est, sed rem suscepit odio dignam, neque aptam viribus suis. Caetera quaeque adversus dicacem scripta plena sunt gravitatis et elegantiae: id quoque a me ignoratur, quare voluissem, ut tanquam argumentum scripsisses, quinam isti sunt, quos lacessendos suscepisti. Placuissent quidem magis versus, et tempori et hominibus accomodati. Credebam te esse Neapoli, nam ubi esses, non erat exploratum mihi. Nunc video te esse penes illustrem principem et suis majoribus dignum Sigismundum Malatestam, quem ego unum, et feci, et facio plurimum inter egregios viros, qui in Italia digni omni laude videantur. Versus, quos refers, vellem scire ad quem spectant; nam suavissimi sunt, et dolori paterno convenientes. Scribis incertum esse te, an adeas Mediolanum; non possum tibi in hoc consulere. Ut enim ait Socrates, cum interrogaretur an quidam beatus sibi videretur; nondum, ait, cum eo lucutus sum. Ibidem ego nescio quanti ille faciat musas, quae inter nostralia arma parum valeut. Potes experiri fortunam parvo quidem incomodo. Opinor, cum Philephum, et Reatinum Thomam secum habeat, scripta tua non aspernaturum. Vale, et isti principi me plurimum commenda. Florentiae.

EPISTOLA XXV.

Poggius pl. sal. dicit Alberto Vulturio Ariminensi V. C.

Bis jam ad te scripsi me addidisse ad libros nostros ea verba, quae desiderabas, ut nullus invidus, aut malivolus titulum libri posset immutare, misique ad te, quae addita a me erant. Miror autem nihil a te responsi me retulisse: idcirco scribas oro, si ad te meae epistolae delatae sunt, et an illa additio satisfaciat tibi. Ego quidem jam codicem eo modo vulgavi, et tum Romam misi, tum hic pluribus excribendum dedi. Vale, et me communi domino verbis intimis commenda. Florentiae.

EPISTOLA XXVI.

Poggius pl. sal. dicit Guarino Veronensi V. C.

Tum multis ex rebus, mi Guarine, judico te esse felicem, tum vero maxime quod filios habes paternae virtutis imitatores, quod tum dono Dei contigit, tum vero domestica institutione, tum etiam moribus urbis, in qua adolescentia procul a vitiis eruditur. Maximum est profecto virtutis incitamentum vitam degere cum eis, qui non sint a praeceptis virtutis alieni; plurimum enim confert ad suscipiendam vitae normam, quibus cum

ab ineunte aetate consuescas, et quorum consuetudine utaris. In nostra autem hac civitate, in tam corruptis moribus, in tanta peccandi licentia, in tam depravata juventute difficillimum est adolescentiam enutrire, ita ut non prolabatur saepius consuetudinis culpa; nulla alibi tanta peccandi licentia pueris adolescentibusque permittitur. Nullo in loco tanta ejus aetatis est virtutis incuria. Habeo filium boni ingenii, aplicavique cum nostris studiis humanitatis; quartum decimum annum ingressus est, bonis est praeterea moribus, quantum aetas patitur, cui opus est non calcaribus, sed froeno. Decrevi, si id a te impetravero, ut tecum sit biennio cum caeteris, qui tibi domi adsunt, ut te et disciplinae et morum utatur praeceptore. Certus enim sum, si a matre et a caeteris domesticis aberit, plurimum ei profuturum, et ad doctrinam et ad vitae probitatem. Itaque nisi tibi molestum sit futurum, rogo per amicitiam nostram, ut velis habere ipsum domi tecum erudiendum tuis institutis, quem praeter doctrinam, volo tractes ut alienigenam quemdam, non ut filium meum: Cupio enim discat servire, non praecipere; parere, non imperare: ita enim opus est ut comprimatur fervor et luxuries aetatis tenerae, et ut potius sentiat vitae incommoda, quam commoditates, utque ei potius multum desit, quam aliquid supersit: pro impensa providebo, prout caeteri consuevere. Hoc ut nostrae amicitiae concedas oro, quoniam id admodum cupio, et nil gratius mihi poteris facere.

Non enim ablego eum a me quia malus sit, sed ut vitet hanc temporum corruptionem, in qua perdifficile est honestum servare, ac melior evadat, tum scientia, tum vivendi integritate. Hac de re quae sit futura tua sententia mihi rescribas velim, quanquam mihi jam persuasi, quid sis responsurus. Vale, et me ut soles ama. Florentiae X Kal. Junias.

EPISTOLA XXVII.

Poggius pl. sal. dicit Guarino Veronensi V. C.

Non dubitabam, mi Guarine, quin mihi de filio quod nostra postulat amicitia, et tua requirat humanitas, esses responsurus; sed verebar non tuam voluntatem, quae jamdudum mihi explorata fuit, sed an id ex tempore et ex tuo esset commodo futurum addubitabam. Itaque me maximo abs te beneficio affectum puto, qui ita liberaliter, ita summo cum verborum honore quod optabam ultro ad me detulisti, aeque rescripsisti humanitate, ut gratissimum prae te feras, te id a me esse rogatum. Expectabo igitur, quando tua voluntas tam propensa est ad satisfaciendum desiderio meo, quod mihi rescribas quo tempore tibi videatur esse venturus, paulone post, an tardiuscule, aestate, an ineunte autumno? Audivi enim suspicionem quamdam esse Venetiis exortam, quae res falsa an vera sit, multos suspensos tenet. Itaque paucis rescribas oro, ac tuo consilio praescribas

tempus, quo istuc sit veniendum. Vale, et me ut facis, ama, et rescribe: nam libenter admodum lego Litteras tuas, rescriboque tanquam cum altero me locutus, quoniam tu solus nobis superstes es ex antiqua doctissimorum hominum schola. Florentiae die XVIII Junii.

EPISTOLA XXVIII.

Poggius sal. pl. dicit Alfonso Regi Aragonum.

Cum pro mea consuetudine ac benivolentia qua omnes doctos viros complector, sapientissime atque illustrissime princeps, visitassem praeclarissimum Jurisconsultum Michaelem Ritium oratorem tuum, multa collocuti sumus invicem de virtutibus tuis, cum et ille libenter et copiose illas enarraret, et aures meae nihil libentius audirent. Ita enim postulat tuorum gestorum magnitudo, ut cum illa tua suprema laude celebrentur a singulis, admirentur omnes in earum commemoratione, ac de tuis laudibus uno ore, et sentiant et loquantur. Ut enim omittam res magnifice gestas, in quibus omnium superiorum excellentium regum laudem et gloriam adaequasti, reliqua magnis digna viris, quae in paucis noscuntur, ita in te praecipua ac praeclara sunt, ut aeternam sint tibi prae caeteris rebus famam et gloriam allatura. Nam et liberalitate munificentiaque caeterisque omnibus regibus et principibus nostri

temporis antecellis, et doctissimos atque eloquentissimos viros ita diligis, ita undique contrahis, et ad te advocas, atque honore, praemiis, beneficiis ornas, ut tua regia studiorum, et litterarum, humanitatis, et doctrinae diversorium dici rectissime mereatur. Magna et grata est omnibus virtus liberalitatis, quam in te novi singularem, quae quo rarior inter principes aevi nostri versatur, eo acceptior, carior, gloriosior esse debet. Sed doctorum hominum patrocinium, quod solus hac aetate suscepisti, ita cumulat laudes tuas, ita illas extollit, ut nihil excellentius, nihil praestabilius esse possit. Nullus enim, in quo aliquod specimen, vel artis singularis, vel praestantis doctrinae existat, accedit ad humanitatem tuam, qui non tuam liberalitatem praedicet, et exornet verbis, et te in aliorum subsidium veluti quemdam e coelo elapsum esse arbitretur. Haec una vox est omnium, et sermo inter omnes diffusus, neminem a te discedere, cui non sit opitulata liberalitas tua: nemo a te dimittitur tuae beneficentiae vacuus, quae res sunt non cum saeculi nostri principibus, a quibus liberalitas parum colitur, sed cum illis priscis, qui habiti sunt et fuerunt liberales, procul dubio comparandae. Itaque cum hac virtutum via sempiternam tibi memoriam et nomen compararis, perge oro ut coepisti, et te ipsum rarum virtutum ducem imiteris. Nullius enim alterius exempla tibi sunt ante oculos praeponenda, cum ea egeris, agasque quotidie, ut a te singularum virtutum opera orta esse videantur. Unum

est, quod menti tuae insitum atque infixum animo esse debet, omnia superiorum principum gesta et virtutes in oblivione ac tenebris obscuras fuisse futuras, nisi litterarum lumine in memoriam hominum atque in lucem educerentur: singula enim opera manufacta suum fatum sortiuntur, et fortunae arbitrio sunt subjecta: solae litterae supra fortunam sunt, et praestant famam egregiorum principum immortalem. Florentiae.

EPISTOLA XXIX.

Poggius pl. sal. dicit Achilli Senensi Cancellario Viro Clarissimo.

Quae cura in primis ad balnea proficiscenti esse debuit ad otii exercitationem, ea postrema, vel potius nulla fuit oblivionis culpa. Paraveram quosdam libros, quos mecum deferrem ad leniendam solitudinem, et ad animi recreationem, cujus nutriendi non minor quam corporis ratio esse debet; sed in ipso discessus articulo, cum variis cogitationibus detinerer, librorum oblivio coepit, neque ante culpam meam percepi, quam Senas veni, ubi me intellexi supellectili omnium optima carere. Volebam te convenire, ut aliquid a te librorum sumerem mutuo, sed cum hora esset tardiuscula, et magister Bartholus vir doctissimus mihi pro uxoris cura esset conveniendus, rogavi quemdam ut te rogaret, ut cum diceretur ea te via domum reverti, ne gravaveris loqui mecum.

Non tulit fortuna mea, ut te conveniendi daretur locus. Agam igitur litteris, quod optabam verbis effici. Rogo te igitur pro nostra mutua benivolentia, proque tua singulari erga me affectione, ut mihi concedas aliqua Ciceronis opera, sive ad eloquentiam, ut sunt orationes, sive ad philosophiam moralem pertinentia. Vellem insuper unam, quaecumque sit ea, Decadibus Titi Livii; pro iis libris mitto ad te famulum meum, qui quicquid commodaveris deferat. Velis, te oro, ut is non redeat inanis. Otio ignavo marcesco, quae vita molestissima est mihi. Si Livius non esset in tua supellectili, mittas, quae habes ex libris Ciceronis nostri: id erit majorem in modum gratum mihi. Vale et mei memor. In Balneis XXVII. Augusti.

EPISTOLA XXX.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Firmano.

Vereor pater reverendissime, ne iis, quae ad te sum scripturus, parum fidei a nonnullis adhibeatur, cum neque verisimilia videantur, et loco fabularum scripta videri queant. Sunt enim praeter hujus solitae naturae vires, et quae excedant communem gradum opinionis, portentique loco potius, quam historiae, sint ea plures existimaturi. Non enim aut legi, aut audivi, aut vidi hactenus similia contigisse, quae cum partim ipse perspexerim, partim a veridicis testibus, haud enim longinquis in oris acciderunt, audierim narrari.

vix tamen mihi ipsi persuadeo ea ut acta sunt extitisse. Quis enim non admiretur, aut facile credat eversas funditus cum strage domos, collapsa palatia, dirutos firmissimos muros, maximas arbores, parvasque partim a radicibus evulsas, deportatasque longius, partim in medio confractas, partim abscisis disceptisque ramis stratas jacere? Vineas in alium translatas solum, deportatos ad alia loca homines, et caetera, quae excedant recitatis fidem? Cum autem non fama aut auditu, sed palam ipsis oculis majori ex parte conspiciantur in omnium conspectu sita, nonnulla ex eorum relatu, qui ea tempestate vexati fuerunt, sint explorata penitus et percepta, stulti temerariique esse videtur rebus certissimis abnegare fidem. Ferunt prisci rerum scriptores plures terrae motu variis temporibus concidisse urbes, mare littus egressum, inundatam diluviis terram, igne civitates atque oppida conflagrasse. Multaque praeterea coelestium, et ipsius naturae vi atque impetu contigisse, in quibus plus dolent homines, quam admirentur, cum videantur ipsius naturae opera consueta. At vero quae nuper evenere, et miranda et stupenda quaedam potius dici possunt, in quibus fuit Dei nutu daemonum licentia evagata. Credo te ex sermone hominum et litteris audisse saevae tempestatis calamitatem, quae iis in locis X. Kal. Septembris diluculo debachata est. Sed quoniam ubi res modum excessit, multa falsa affiguntur veris, et in ejusmodi rebus videtur concessa fingendi licentia, volui paucis recensere.

quae pro vero comperta sunt, ut mecum simul mireris tantam tam acerbam diversis in regionibus vim coelestem incubuisse. Hujus sive tempestatis, sive ruinae, sive pestis, sive calamitatis originem dicunt habuisse in silva quadam, quae Macis silva dicitur, inter Volaterras et oppidum Certaldi sita, a quo distat miliaribus quatuor, exque silvae exitu quoddam propinquum quod dicunt paleare prope Certaldum detulisse integrum, et ut erat antea in terram statuisse. A Certaldo, ubi parum nocuit, relictis intactis quae inter media erant ad oppidum quod appellant Sanctum Cassianum (id a Certaldo decem millibus distat) versus Septentrionem pervenit. Inde Orientem versus ad regionem transiit, ubi Plebs est Sanctae Mariae in Pruneta longe a Cassiano millibus quatuor: inde Aquilonem versus, praediolum meum ad flumen Emae, ac postea collem propinquum supergressa, in planiciem quae dicitur Ripolis duobus ab urbe miliaribus descendit. Inde transito Arno ad septentrionem versus ad regionem quae dicitur Septignanum appulit, hoc tot itinere viginti ferme miliaria circumeundo complexa est per longitudinem; latitudo vero medium miliare non trascendit, et in nonnullis locis non ultra tertiam aut quartam partem egressa est. Nunc accipe pauca ex multis, in quibus magna laesio facta constat. Circa diluculum in eis ubi nocuit locis, varii densique ac nigerrimi nubium globi, crebris lampadibus, vel horrendo potius tremendoque murmure ac sonitu quasi in terram descendere visi

sunt, et veluti more belli invicem certare, prout multi, qui in areis purgandi frumenti causa erant, conspexere, et ex eis quidam a nubibus rapti. Vis nubium miranda erat, et major quam solita sit esse ventorum. In Castello Cassiani a pluribus domibus tecta amovit, et asportavit ea vis longius; pontem insuper ligneum ante portam a catenis et omnibus ferramentis quibus constringebatur abstractum, multos passus detulit ultra castrum. Palatium filiorum Nerii Vectorii pulcherrimum oppido medium ferme milliare propinquum, in quo turris erat valida diruit fere totum intacta turri; hujus tamen tectum integrum longius asportavit, muros, solaria, testudines, tecta ultra tres partes subvertit, utque palam sit non fuisse eam stragem ventorum impetu excitatam, diversas in partes una ad septemtrionem, quaedam ad meridiem, alia ad Orientem, alia ad Occidentem corruit. Murus horti ad passus quadraginta concidit, medietas Septemtrionem, reliqua meridiem versus. Ex solario turris quod tecto propinquum erat plures lateres ex diversis locis alibi parum, alibi amplius tanquam de industria abstulit, reliquis ex nulla parte laesis, ut videatur hominum manibus id opus effectum. Quae grossiores caeteris trabes, reliquis omnibus, tum tignis, tum tabulis ibidem relictis, mille amplius passus in quamdam parvulam convallem per aerem sunt delatae. In ea ruina, duo servi graviter afflicti; domus villicorum ejus ad terram prostratae omnes, multique ea ruina oppressi expirarunt. Oleae, poma, et reliquae

feraces arbores majori ex parte a solo dejectae et confractae sunt. Vinea quoque radicitus avulsa ad alia loca portata est, adeo ut nullius vitis vestigium sit relictum. Villici unius uxor, quae inter duos filios jacebat lecto, ruina domus oppressis filiis, ipsa media inlaesa permansit. Id maxime prae caeteris mirum, arbores omnes tum truncas, tum evulvas, non uno ordine, sed diverso aspectu jacere prostratas, ut non ventorum impetu, qui in unam partem solet tendere, sed alia ex causa ea strages constet accidisse. Alterius villa propinqui civis ex medietate corruit, agricolarum domus aversae, arbores similem passae sunt superioribus stragem, solarii unius propinquae domus pars major lateribus nudata est, absque alio domus nocumento. Villa Joannis Borromei instar arcis pulcherrimae superioribus propinqua parum sustinuit damni, murorum tamen pars quaedam corruit, et arbores permultae amissae. Quatuor agricolae praedii Plebis Decimae cum e domo in viam publicam exiissent eam tempestatem admirantes, se a nube sublatos testati sunt: eorum tres supra terram brachiis amplius sex delatos se ultra sexaginta passus, positosque in vinea dixere super Cereso nulla laesione corporis accepta. Quartus vero juxta terram ad alium locum et ruvos et dumeta portatus totus a vepribus laceratus est, quem plures in lecto jacentem conspexere ulceribus plenum. Cuidam propinqui loci agricolae erant filii tres adulti, quorum duo ruina domus interierunt: tertius quem vita

functum cum reliquis in ruina pater quaerebat, postridie rediit asserens se per aerem ducentos procul passus portatum, et in sepem densissimam conjectum, in qua veluti semianimus totum jacebat diem; postera die assumpto spiritu cum difficulter se a rubis extricasset, tota carne confracta, insperatus, ac pro mortuo defletus demum rediit. Villicus quoque ab eo in quo erat colle ad alterum ultra duos balistae jactus distantem media interjacente valle incolumis translatus est. Is asseruit, cum per aerem veheretur magno cum timore, vidisse ingentem cum radicibus et ramis quercum supra se viginti ulnas ferri velocius. Caballarius quidam iter faciens versus Cassianum cum esset ex opposito villae, cujus primum meminimus, una cum equa in aerem sublatus, longe per tria stadia in agrum quemdam absque ulla laesione translatus fuit. In praedio Joannis Borromei inventa arbor ingens mali cum radicibus fere integra eo delata duo amplius millia passuum a loco ubi avulsa fuit. Plures antiqui aevi quercus, frugiferasque arbores a solo convulsas per medium miliare in alios agros e locis superioribus ad infima, et e converso traductas constat. Ex aula domus agricolae unius per fenestram ferratam parvulam magnum frumenti numerum emissum, nulla in re laesa domo, et ipsemet frumenti dominus, et multi alii confirmant, nec postea quicquam ejus frumenti repertum esse. Tectum unius domus, integris tignis ac tegulis ut erat compositum, in agrum duodecim propinquum

passus demissum fuit, caeteris in partibus domo intacta; quae omnia in locis Cassiano propinquis accidere. Numerus defunctorum in ea regione, de qua scribimus, viginti ferme fuit; pecora insuper innumera avesque et ferae silvestres interiere. Id vero maxime spectandum videtur et scriptione dignum, varietas scilicet tot diversarum rerum, quas impetus ille furibundus tulit. Nam constat agros plures a turbine vastatos, proximos et intermedios fuisse intactos; terras insuper quasdam noviter cultas, ablatis usque ad solidum glebis, veluti suo cultu orbatas fuisse repertas. Est Ecclesia Sancti Martini, quae ad Balneolum dicitur, haud procul a Sancta Maria in Pruneta, quo ea tempestas divertit, ante quadraginta annos firmissimis muris aedificata, quae maxima ex parte cum campanili a fundamentis corruit, tecto longe ad alia loca delato. Duae campanae in Ecclesia erant, quarum altera in minutissima frusta contrita est, altera librarum CCCC. in agrum quinquaginta passus distantem deportata. Murus, in quo Sanctum Salvatoris nostri Corpus servabatur, cum omnis confractus et disjectus esset, tabernaculum Sacramenti cum sudario, quo involutum erat, integrum nulla cum laesione stans, supra petram in qua residebat antea repertum est: et item vasculum Olei Sancti integrum inviolatumque proxime est repertum. Id quoque est animadversum, et miraculi loco habitum, stipites portae Ecclesiae stantes revolutos fuisse, ut quae pars erat exterior, sit in interiorem conversa. Id vero

dictu mirabile; rusticum qui diluculo e propinqua domo in ortu fulgurum et tempestatum Ecclesiam ingressus est ad sonandum de more *Ave Maria*, ut dicunt, prout plebanus ei Ecclesiae propinquus summae vir auctoritatis mihi narravit, cum subita Ecclesiae ruina oppressus et ferme sepultus, quereretur se ut bestiam mori, audisse vocem dicentem, ne timeas, non morieris desperatus, et haec parvula sunt respectu eorum, quae sunt ventura. Cum postea inter ruinas et saxa vir quereretur, inventus vivens, et domum in feretro delatus, dies decem vixit, et ut Christi fidelis mortuus, ipsemet saepius eam se vocem audisse asseveravit. Hoc quoque inter caetera deflendam in populo ipsius Ecclesiae mulierem, quae tribus in lecto relictis parvulis filiis domo initio tempestatis exierat; conspecta turbinis violentia domum ad exportandos filios regressam, subita ruina una cum filiis interiisse; mirum, eam rem quae ob pietatem gratiam merebatur, ad perniciem fuisse conversam. In eodem populo est praedium Hospitalis Sanctae Mariae Novae, domus praedii cum turri ad solum prostrata est, quatuorque homines ea ruina oppressi. Lapis ingens qui erat in turris muro, solus in agrum propinquum passus quinquaginta delatus: defunctorum pater asseruit, cum cessasset ea tempestas, varii coloris et veluti ardentem aerem se vidisse. Domus alterius agricolae ulnas octo latae, longae quindecim, tectum ac muros usque ad solarium fortunae turbo abstulit, et lateres omnes qui in eo erant delati.

Unius item rustici cum is impetus tectum omne domus abstulisset, cameram frumento plenam ad scutaria XXII. per aerem delatam, ac per sexaginta passus longe in quodam agro positam, frumenti patronus reperit stantem atque integram, ut nihil sit perditum ex frumento. Arbor suberis ingens juxta flumen Elsae inventa est, quod omnes in admirationem traxit, cum nulla ejusmodi planta ad triginta milliaria prope eum locum nascatur. Cum in ea regione multum nocuisset, vertit se ad Septentrionem ad flumen Emae, transiens per praedium meum quatuor millibus passuum ab urbe distans, ubi plurimum intulit damni. Nonaginta sex utilissimas arbores, et in his quinquaginta oleas partim evulsit funditus, partim confregit, quercumque ingentem abscidit. Ago gratias Deo, quod non universum praedium, sed partem quamdam ea pernicies complexa est: nonnullis vicinis meis amplius fuit molesta. Nam et domos quasdam magna ex parte prostravit, et aliis ducentas, aliis tercentas oleas, et multas frugiferas arbores per varia loca contrivit. A mea villa transito colle, qui propinquus est, ad Emam longe duo millia passuum pervenit, ubi prope flumen centum ferme passus murum villae cujusdam a fundamentis eruit, pauca loca ejus regionis hanc calamitatem sensere. Transiit deinceps ultra dictum collem Aquilonem versus in planiciem, quae dicitur Ripolis, ubi magnam, tum arborum, tum domorum edidit stragem. Jacopino Gogio civi Florentino prae caeteris ea procella calamitosa

fuit, cujus palatium sumptuose aedificatum majori ex parte subruit, quaedam solo tenus, quaedam a summo, nonnulla usque ad medietatem sunt diruta, pauca integra remansere. Supellectilia domus omnia, praeter mappas et linteamina, quae sola evasere integra, disjecta, confracta, diminuta, in frusta lacerata sunt, ut crederes ea opera hominum fuisse patrata: neque in ea loca ultra spatium miliaris ea se pestis ostendit; oleas, nuces, caeterasque arbores fructum ferentes paucis relictis, omnes ferme, aut fregit, aut evulsit. Agricola quidam Joannis Orlandi raptus in aerem ultra passus octuaginta portatus, et in agro positus fuit; ita tamen in aere confractus est, ut mortuo similis videretur. Villae Lurentii Ilarionis parum nocuit, sed pirum et quercum ingentes a terra evulsas, supra flumen Arni ultra miliare posuit. Hoc quod sequitur ludi Daemonum loco est accipiendum: rustici cujusdam in ea ora domus est; lateres aulae divulsi a tabulatis, integri incorruptique in angulo aulae collocati sunt, tanquam ab aliquo opifice dispositi ad novi pavimenti opus. Versa deinde procella ad Septentrionem Arnum transiens, in regione, quae dicitur Septignanum consedit, ibique similem arborum stragem edidit; fertur longa intercapedine transisse in Mugellum, et parum quid ibi nocuisse: quid postea egerit, incompertum est mihi. Haec scripsi, quia et ipse vidi plurima, et quidam cives, qui ea loca, quae tempestas quassavit, et peragrarunt, et etiam ab se comperta litteris scripsere.

Erant itinera, ubi ea soevities debachata, adeo oppleta arboribus, ut pluribus diebus per agros necesse fuerit viatores transire. Conspexi ego stragem mirabilem quamdam ingentissimarum arborum, quas nullis naturae viribus moveri posse existimassem; quaedam ad terram cum radicibus erant collapsae; quaedam in medio confractae, nonnullae expolitae ramis solo trunco eminebant, aliae ramis integris tantummodo foliis nudatae erant; a nonnullis pars validior, a quibusdam infirmior avulsa conspiciebatur, neque vero uno ordine, sed in contrarias regiones ceciderant. Plura enim majoraque vulgo, ut fit, jactabantur, cum licere videatur iis, quae praeter solitum accidunt, praeterque naturam esse creduntur, etiam falsa quaedam addere, quo mirabiliora reputentur. Habes, pater optime, epistolam verbosam, sed quae animum movere possit ad considerandam diversorum casuum varietatem: si vero in mittenda epistola tardior fui, culpes volo meam villicationem, cum pluribus diebus fuerim in Terra Nova, ubi a labore cnm familia quiescens, dies complures post scriptam epistolam otio vacavi.

EPISTOLA XXXI.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Firmano.

Scripsit, pater mi reverendissime, Jacobus tuus Lucensis Dieciajuto nostro, placuisse tibi epistolam, quam ad te misi de saevitia praeteritae tempestatis; id fuit mihi gratissimum comprobatas esse abs te viro doctissimo ac sapientissimo litteras meas. Vellem mihi dari facultatem saepius ad te scribendi non quidem de ejusmodi rebus, sed de iis, quae afferent animi voluptatem. Sed nihil novi accidit, praeter ea quae sunt dudum contra Teucrum gesta, dignaque ut litteris memoriae hominum mandarentur. At ea, praeter communem famam, nobis incognita ferme obsolescunt; res autem incognitas scribere, stulta et ridicula res videretur. Accipiam tamen aliquando ex tempore occasionem, qua tecum loquar absens, quandoquidem coram non datur ad praesens. Ego vacuus pubblicis negotiis, legendo scribendoque tempus traduco, neque illud sino, quoad possum, per inertiam atque ignaviam effluere, conorque id agere, ut existimari possit in tot annis me saltem aliqua ex parte vixisse. Vale diu, et mei memor.

EPISTOLA XXXII.

Poggius pl. sal. dicit Episcopo Zamorensi.

Reverende in Christo pater, et domine mi carissime. Neminem video a Curia redeuntem, quin in primis de te, deque sospitate tua quaeram diligentius, quem cum omnes valere dicant, summae mihi est voluptati. Vellem tamen pro multis laboribus, quos pro Ecclesia subisti, pro officiis, atque honestissima acta vita, aliqua de tuo statu ratio haberetur, utque aliquis esset locus virtuti et meritis tuis. Verum illud ne mireris volo, virtutis praemium a sapientissimis viris in ipsa poni virtute, neque extra eam aliquid illa dignius inveniri. Sed haec tua prudentia, quae omne suum tempus in litterarum studiis consumpsit, melius dijudicare poterit. Id autem a te peto, ut non obliviscaris tui Poggii, qui forsan adhuc te videbit, et utinam in eo statu, in quo te esse desidero. Vale pater mi amantissime, et me ut tuum ama.

EPISTOLA XXXIII.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Zamorensi.

Ita me amet Salvator noster, pater mi reverendissime, ut nihil gratius aures meae audire poterint, quam amplitudinem novae in te collatae

dignitatis. Video enim licet tardius quam tua egregia opera merebantur, aliquando tamen te virtutis tuae merita consecutum, quam rem praesapiens animus meus, tibi nescio quid, non enim recolo, in litteris, quas paulo ante ad te scripsi, significavi. Sunt profecto virtutum studia caeteris rebus anteferenda, quarum fructus uberrimus semper fuit, neque earum amatorem unquam aut abjectum, aut contemptum reliquere, sed tribuunt pro meritis possidenti. Laetor itaque tecum summeque gaudeo, probitatem, fidem, integritatem tuam maximis in rebus versatam Summum Pontificem nostrum honore debito prosecutum, et ea dignitate te ornasse, cui tu quoque magno esses ornamento. Eam enim veram dignitatem sapientes esse voluerunt, quae in virum dignum, et benemeritum conferatur, in eum scilicet, qui doctrina, virtute, sapientia dignitatem concessam clariorem reddit atque ampliorem, ut magis dignitas excellentia hominis honestari, quam vir dignitatis insignibus ornari videatur. Extimantur enim ea ornamenta tributa esse non praecibus, non ambitioni, sed iis quibus es ornatissimus, prudentiae, auctoritati, moribus, gravitati. Ago ex hoc gratias Altissimo, a quo donum omne proficiscitur, rogoque ut diu te sospitem praestet nobis. Tu vero, quoniam qui plus a Deo accipit, plus debet, effice ut sicut hic tuus status amplior est effectus, ita et virtutes quoque, quas in te novi esse permultas, ampliores reddantur, atque uberiores; nunc praesertim, cum liberior sit data facultas illarum

studio atque exercitio indulgendi. Inter caeteras vero humanitatem ac liberalitatem pristinam conserva, quae benivolentiam hominum alliciunt, et commendationem ac laudem egregiam secum portant. Scribo pauca, ne virum doctissimum videar, quod stulti esset, velle docere. Vale pater optime, et Poggii tui memor. Florentiae die XXIV. Decembris.

EPISTOLA XXXIV.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Senensi.

Cum audissem, pater mi reverendissime, te factum esse Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, gavisus sum sane majorem in modum, prout amor in me tuus, et mea erga te observantia postulabat. Id vero mihi maximae fuit voluptati, eam dignitatem, quae maxima est, in te collatam, quae non ambitu aut gratia, sed virtutum studiis quaesita esse videretur. Accedit ad consolationem meam et summam jucunditatem, quia vir eloquentissimus optimisque artibus eruditus fructum eloquentiae et doctrinae sit, quod perraro accidit, consecutus. In quo gloriari quodammodo mihi merito videor posse nostri quondam ordinis virum, hoc est eloquentiae studiis et dicendi exercitio praestantem, eo in statu esse collocatum, ut suae doctrinae aemulos extollere, et eis praesidio atque ornamento esse possit. Magnum profecto eloquentibus viris suffragium ex hac tua dignitate

praepositum esse videtur, cum sint habituri veluti certum refugium, in quo illorum desideria conquiescant. Ego quidem primum tua, tum vero mea, tum eloquentium omnium causa gratulor et exulto te in tam insigni loco positum, non secus ac si aliqua mihi prospera fortuna accessisset, et illum mihi diem illuxisse felicem puto, quo declaratus es Cardinalis, cum palam factum sit, locum esse probitati et doctrinae, et non semper neglectam jacere virtutem. Quoad vero ad me attinet, magnum incrementum rebus meis existimo esse factum. Scio enim te majori animo, ac promptiori diligentia curaturum, quod ad me pertineret, quam ii, quorum mens et voluntas remissior est in doctis hominibus sublevandis. Sentiant alii quod velint. Virum doctissimum et ornatum virtutibus necesse est doctos diligere ac bonos. Non mihi tamen tantum arrogo, ut profitear me doctrina ac virtute praeditum esse; id dicam dedisse me operam quoad facultas tulit, ut non in postremos essem rejiciendus. Nolo, ut plures solent, commorari in tuis laudibus aut meritis enumerandis, ne videar, quod vitium procul a meis abest moribus, adulatoris officium sumpsisse. Hoc tamen profitear tantae dignitatis tibi gradum tanquam tuarum virtutum praemium fuisse tributum. Vale, et Poggii tui memor. Florentiae die IV. Januarii 1457.

EPISTOLA XXXV.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Papiensi.

Disputatur a sapientibus viris, ut recte nosti, praestantissime pater, an optandum esse videatur, ut amicus ad altiorem gradum et ad principatum promoveatur: nam, cum amicitia, tum studiorum similitudine, tum maxime continua consuetudine institui et conservari soleat, videtur ejus vinculum dissolvi, ubi simul vivendi usu privati sumus. quod in dispari fortuna contingere videmus: pares enim, ut scis, cum paribus, veteri proverbio, facile congregantur. Disparitas ergo cum tollat consuetudinem, et una vivendi suavitatem, ex quo necesse est tepescat amicitia, nescio an sit ea res expetenda, quae auferat a nobis tam dulcem et suavem fructum, quantum ex amicitia homines consequantur. Ne tamen nosmetipsos nimium amare videamur, omniaque nostra utilitate metiri, boni viri officium sit, ipsius humanitatis gratia, cupere alteri bene esse, et etiam desiderandum videtur, ut quem amamus, semota etiam spe utilitatis, ad altiorem statum conscendat. Quanquam existimandum sit ad nos quoque non parva commoda ex amici exaltatione esse perventura. Quis est enim tam durus corde, tam ferus, tam inhumanus, tam sui immemor, tam alterius contemptor, qui inveteratae amicitiae, suavissimae consuetudinis, praeteritorum officio-

rum, nisi sit penitus amens, oblivisci queat? at non respondent illorum persaepe opes desideriis nostris; sed et honesta, et quae nos deceant sunt appetenda, et aequum videtur nos acquiescere dantis arbitrio et voluntati, a quo quicquid conceditur non debiti, sed beneficii loco est accipiendum; quamvis etiam si omnium praeteritorum illum coeperit oblivio, si fortuna mentem mutavit, ut in iis saepius contigit, quos subito in sublime elatos videmus, consolatio tamen permagna est, me id egisse quod ad amici officium pertineret, neque ego sum culpandus qui id praestiti, quod virtus, fides, jus amicitiae requirebat, sed ille, qui velut asinus e coeno emersus, et in altum constitutus lascivit, calcibus appetens qui sequuntur. Ego, prout postulabat nostra mutua benivolentia, cum tibi essem deditissimus, majorem in modum sum gavisus, ex hac tua ad Cardinalatus dignitatem assumptione, quam non ambitioni, sed virtutum testimonio vidimus esse tributam. Fui, sicut nosti, cultor atque observator praestantissimi quondam, atque omni laude dignissimi viri patrui tui Cardinalis Placentini, qui me semper ut filium dilexit. Scis me esse amicissimum praeclarissimis atque integerrimis viris Franchino, Guarnerioque jureconsultis, quos tu sanguine proximos, ut patres hactenus coluisti. Scis amicitiam antiquam cum tuis habitam me in te colendo conservasse, ut merito confidam te consuetam benivolentiam non solum oblivioni non daturum, sed aucturum potius tuis officiis. Utcun-

que tamen tua voluntas se habebit, Poggius servabit pristinum in te amorem. Qua in re si respondebis affectioni meae, erit ut gaudeam te doctissimorum virorum et optimorum studiorum, quibus ab ineunte aetate summa cura operam dedisti, consiliis et doctrinae, potius quam communi consuetudini paruisse. Ego a te nihil desidero praeter antiquae charitatis et benivolentiae conservationem. Vale, pater optime, et mei memor.

EPISTOLA XXXVI.

Poggius pl. sal. dicit Carolo de Medicis V. C.

Non ab ipso Platone descripta est melius civitas, in qua, decem Libris, de optimo reipublicae statu disputat, quam unicis tuis Litteris Romanae Curiae conditio explicatur, in quo gaudeo socios et amicos meos non omnino suorum laborum et studiorum diem et operam perdidisse. Ego tamen rebus meis contentus deposui omnem ambitionem, mihique vivo procul ab iis curis, ad quas major hominum pars vesano impetu feruntur. Nihil est in rebus meis quod me angat contentum actae vitae conscientia, praeter censum, qui tenuis est propter parvam operam a me in cumulandis pecuniis impensam. Itaque in diem compono me ad meliorem vitam, ut hujus meae villicationis queam reddere Deo, etsi non optimam, at saltem tolerabilem, pro humana imbecillitate,

rationem. A Curia vero removi ad praesens cogitationes omnes, et ut dicebat Augustus, hoc Catone sumus contenti. Responsio Sercinae nostri adeo mihi placuit, ut dictum suum conjecerim in nostras confabulationes, sale enim et joco respersa responsio fuit. De Cardinalibus noviter factis optime statui Ecclesiae provisum est. Scripsi litteras congratulatorias Zamorensi, Senensi, et Papiensi, qui est apud Germanos; earum epistolarum copiam misi ad Dieciajutum, quas ab eo, si libet, petas, ut videas quae a me scribuntur. Vale, et me ama. Florentiae.

EPISTOLA XXXVII.

Poggius pl. sal. dicit Episcopo Ferrariensi.

Recepi a te litteras, pater optime, sive enim verbum te decet, quae animum meum ab molestiis ad priscam nostram benivolentiam et consuetudinem revocarunt; nihil est enim quod libentius facerem, quam loqui cum amicis absentibus, quoniam praesentium suavitate privati sumus. Hac autem in aetate sum constitutus, ut difficile sit novos amicos comparare, qui longiori tempore indigent, antequam probari queant. Gaudeo si quid mea epistola, quam laudas, profuit ad religionem, et excitandam conscientiam et pietatem; apud nos nil tale actum est propter nimiam, ut puto, nostrorum civium sanctitatem. Ego tamen aliorum judex, aut censor esse nolo.

Dabo operam, quoad fragilitas humana permiserit, ut quam minimum offendam Creatorem nostrum, quod qui contentus est rebus suis, neque ambitione aut avaritia ducitur, facile potest praestare; reliqua permittam Altissimi voluntati, cujus pietas multum praeter mea merita ad hanc vitam consuluit, et favit mihi. Scripsi tribus novis Cardinalibus, prout videbis per litterarum copias, quas ad te mitto, et si lectione videbuntur dignae, communices oro cum Marescalco nostro. Filius quondam domini Feltrini parum humaniter se gessit, qui tanto tempore tenuit codicem meum. Sollicita oro illum, et an velit restituere ad me perscribe. Vale, et me ut soles ama. Florentiae.

EPISTOLA XXXVIII.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Sancti Angeli Legato.

Quamvis scirem, pater et domine mi reverendissime, nihil me profuturum iis litteris, quibus Imperatorem exortatus ad Christianorum et Fidei defensionem (ejus enim natura et mores mihi satis perspecti erant) tamen ne viderer tanti viri contemnere mandata, parui tuae voluntati scribens, quae mihi talis causae ratio exposcere videbatur. Neque vero me opinio fefellit. Quid agat, quid moliatur nequaquam obscurum est; sed ita palam jactatur ejus negligentia, ut sit effectus vulgi fabula. Non autem scripsi ad alios principes,

ne opera et impensa, ut ajunt, funditus periret. Novi, quam sint aures eorum hebetes ad ejusmodi exortationes, et quam obtusae hanc suadentibus expeditionem. Tonitruo opus esset non verbis ad excitandos a somno juxta tot tantaque pericula dormitantes, et odium certe mihi comparassem pro dilectione, suadendo ea, quae legentes abhorrerent. Scis, pater optime, cum vir sis prudentissimus ac sapientissimus, veritatem veteri proverbio odium parere, et moris est . . . . non libenter audire quae non agat libenter, aut a quibus mens est aliena. Capitis vigor solet caetera membra reddere validiora: at ubi id torpet et languet, reliquae corporis partes sua aegritudine inficiuntur. Capita quae habemus tu ipse nosti, ut nisi alio quam hominum consilio provideatur, magna pernicies sit extimescenda. Accessit ad rerum perturbationem novitas, quae nuper accidit in Ungariae regno, quae timeo ne progrediatur longius, quam fidei utilitas patiatur. Credo Dei permissu fieri et voluntate, populum Christianum magna ex parte egregiis principibus esse privatum, ut nullus existat, qui aut velit, aut possit futuris periculis obviam ire. Recense Christianos reges et principes: videbis apud paucos esse virtuti et probitati locum. Itaque tacendum est, vel deploranda potius paucitas eorum, qui huic malo queant obsistere. Ego quidem si sperarem quicquam opis afferri litteris meis posse, nullum declinarem laborem pro ea re, in qua defensio fidei et salus fidelium versaretur. Sed

obduraverunt cor ad salutaria consilia, neque admittunt nisi quod probant; decertant omnes de proprio commodo, publicum aspernantur, tantumque de illo curant, quantum ad privatam spectat utilitatem. Plures labores subisti, multa adisti pericula, infinitas curas et molestias jam biennio pro hac fidei causa suscepisti, et tamen haec tanta diligentia, tantus labor, tantum studium, tanta virtus ob eorum qui debent negligentiam non peperit eum fructum, quem multi sperabant, optabant omnes. Taceo de classe maritima, quae evanuit temporum ut dicam culpa. Quamobrem tacebo deinceps, cum non verbis opus sit, sed facto ad rem, quam quaeris perficiendam. Audivi, quod fuit mihi molestissimum, te adversa valitudine esse propter nimias nulla intermissa requie defatigationes. Rogo ut consulas corporis saluti, et id agas, ut ad nos incolumis revertaris. Ago tibi gratias quas possum pro litteris, quas heri a te recepi. Scripsissem ad te aliquando, si reperissem, qui ad te epistolam deferrent, sed admonitus ab eo, qui mihi tuas litteras tradidit, et has, et quas de caetero scribam litteras, mittam Romam ad tuos, qui curent ad te deferendas. Opto ut valeas, et mei memor. Florentiae XXVI. Junii.

EPISTOLA XXXIX.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Episcopo Ferrariensi.

Legimus Demosthenem laetari solitum verbis muliercularum, sed laudantium dicentiumque hic ille est scilicet eloquentiae princeps. Temistoclem quoque nullius voces se libentius audire quam eorum, qui suas laudes praedicarent. Si duobus totius Graeciae praestantissimis viris gratae laudationes eorum erant, quid mihi homunculo putas contingere, cum tantopere lauder abs te viro doctissimo, et ab reliquis tum eloquentibus, tum sapientiae studiosis? nempe in iis litteris quas heri accepi id sum consecutus, ut mea scripta aliquid esse putem. Nam quamvis arbitrer multa a te tribui tuo erga me amori, tamen non adulatoris, sed amici officium existimo te in meo opere commendando sumpsisse. Facis tu quidem more boni patris, qui persaepe laudat filios, ut calcar adjiciant ad imitandam virtutem, ut tales evadant, quales a patribus praedicantur. Et certe tuae laudes me incitant, ne inerti otio reliquum aetatis transigam, quanquam multa molesta in diem accidant, quae mentem divertant a scribendi cura. Veni in patriam omnium inquietissimam, quae saepe me cogit poenitere capti consilii in relinquenda Romana Curia, in qua cum lucro et dignitate consenui. Cura praeterea rei familiaris me plurimum distrahit.

soli enim mihi rerum omnium cura suscipienda est. Nam major natu filius, quem litteris erudieram, qui me ab ejusmodi solicitudine levare debuisset, kal. Aprilis Praedicatorum de observantia religionem ingressus est, quod procul dubio pluribus diebus fuit mihi molestissimum. Aetas praeterea ingravescens labores fugit, quietemque non solum corporis, sed animi quoque appetit. Conor tamen versari cum litteris, quoad tempus datur, et scriptioni vacare, quamvis in diem nova tributa a me exigantur, et quotannis in me impetus fiat ad extorquendos nummos, quae res me maxime torquet. Scis autem in scribendo opus esse otio, et animi quiete, ut nostro Ciceroni placet. Quod vero minime placere tibi scribis, quae de Angelotto dicuntur, scis illum semper inimicum fuisse mihi, multaque contra me et egisse et dixisse indigna bono viro, quamvis in verborum contentione nunquam me superavit. Scis tu ipse illum fuisse virum invidum, maledicum, detractorem, raptorem, seditiosum, ut nulla in re sim mentitus, quin potius de eo parcius scriptum sit, quam sua nequitia mereretur. Poenitendum vero esset, si aliquo falso crimine usus essem. In veritate dicenda multa videtur inesse culpa; magis timui cum legere coepissem, te unum abradi velle, ne de prooemio, sicut alter fecit, me culpares. Vale, et mei memor. Libellum te remisisse gratissimum fuit. Vale.

POGGII

EPISTOLAE.

LIBER DECIMUSQUARTUS

EPISTOLA I.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco.

Recepi tuas litteras, quibus mihi significabas te unica nocte, et ea insomni, legisse libellos meos, addisque laudari a te omnia praeter unum, quod et forsan haud multum mihi placet. Serere enim in agro sterili stultum videtur, cum semen perdi solet et opera. Si acta agi possent, consilium ex tempore caperemus. Libros excribi facias commodo tuo, non enim festino. Codicem ad me remitti; sit apud vos quantum libet, non enim ob aliam causam illum edidi, nisi ut volentibus meus labor communis esset. Potuissent plura conjici in eos libros, et addi multa, quae in rem convenissent; sed nolui esse longior veritus judicium aurium delicatarum, quibus admodum

abundant tempora nostra. et detractorum quoque magna natio est. Sed quamvis nil aliud egerim, excitabo saltem aliorum ingenia. ad ea tractanda potitius et eloquentius, quam a me sint scripta. Vale. et me ama. et si incideris in invidos aut malivolos, meam causam tuearis volo. Vale.

EPISTOLA II.

Poggius pl. sal. dicit Card. Firmano.

Optarem tantum roboris ac virtutis in me esse, pater mi reverendissime, ut in hac temporum varietate, ne dicam perversitate quieto animo ac tranquillo esse possem. Scriberem ad te saepius, et meam consuetudinem pristinam in litterarum officio conservarem. Sed impedior curis plurimis, quae me pessundant, quas abscidere nequeo, cum ea sit praesentis temporis conditio, ut habeam quod timeam, quid sperem nihil afferatur. Sunt mihi patriae duae, civilis altera, altera naturalis: haec inquieta est, instabilis, in suis decretis plena invidiae atque ansietatis, illam, in qua consenui, eo in loco sitam tradunt, ut ubivis gentium, quam in ea esse praestet. Ideo conturbor mente, cum mihi tanquam in aliena patria esse videar, et apud externos, quibus cum parva sit mihi consuetudo morum enim optimorum, ut nosti, et studiorum eorundem similitudo amicitiam conjungit; vivo in spe, et rebus praesentibus utor tanquam viator inter eos, a quibus libenter abessem

doleoque altricem meam, et quidem optimam, a me sub fallaci specie fuisse relictam. Sed hortantur me, tum aliqua futuri spes, tum vero tua in me singularis benivolentia, diceremq amicitiam si ea inter gradu et dignitate dispares esse posset, sed eam data facultate excitatum iri confido. Etenim mihi persuasi, si tempus detur, te mei memorem esse futurum, neque passurum me abjectiorem esse quam multis, quibus, ut leviter dicam, non videor postponendus. Quamvis autem omnibus in rebus nostris fortuna, ut ille inquit, dominetur, tamen plerumque videmus virtuti locum esse. Ego te, pater optime ac sapientissime, semper colui, ac majorem in modum dilexi, tum propter egregias tuas virtutes, tum quia te doctis semper viris conspexi tuo patrocinio adfuisse, sublevasseque multos, in quibus cognoveris, aut doctrinam, aut aliqua virtutis vestigia inesse. Dabis igitur operam cum poteris, ut spero, etiam me tacente, ut erratum meum pristinum futura opera corrigatur. Audio dominum Legatum Cardinalem Sancti Angeli recessum parare. Id simile videtur vero, cum rex Ungariae sit in Germania, et illi, ut ajunt, viaticum desit. Sed ut alias verbis, ita et nunc litteris hortor prudentiam tuam, ut reipublicae tantam curam suscipias, quanta demandetur, vel *uno poco meno*, cogitesque illud Crispi dictum, laborando ac fatigando odium quaerere summae est dementiae: fatis agimur, credite satius. Essem longior, sed nolo prolabi. Sentio multa ridenda, plura deflenda. Dicunt vobis

stomachum factum esse firmiorem, ideo melioribus uti potestis, et rebus frigidiusculis ad depellendos calores. Vale, et mei ut soles memor.

EPISTOLA III.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Firmano.

Rem mihi gratissimam fecisti, reverendissime pater, qui me ad scribendum tuis litteris provocasti. Et sicut in epistola quadam scribit Plato tyrannorum praeces necessitati admixtas esse, ita cohortationem tuam, reprehensionem quamdam justam puto meae taciturnitatis. Fateor sane erratum meum, qui tecum siluerim diutius, quam tua erga me merita postularent. Sed moeror quidam animi me occupatum tenuit pluribus mensibus, cum viderem omnes fortunas meas instabiles, et in incerto sitas. Nequeo tantum vacare litteris, et sapientum virorum scripta legere, qui docent fortunae bona pro nihilo habenda, et operam virtuti dandam esse, quin aliquando, aut potius saepissime, conturber propter tributa, quae mihi praeter conventa, et olim concessa privilegia a me per summam injuriam exiguntur, et persaepe cogar detestari eam diem, qua e Curia discessi, cupiamque relinquere non patriam, sed novercam quamdam difficilem ac molestam, et parum bonis consulentem. Magna profecto fuit semper etiam apud Romanos priscos eorum penuria, qui recte sentirent, et publicae consulerent

utilitati; quid nunc fieri censes his temporibus, quibus vitia a pluribus pro virtute habentur, isque sapiens reputetur, qui sibi soli sapit? ego qui, ut nosti, satis cum honore et dignitate vivebam, cuique nihil in Curia deesse poterat, compellor perspectá rerum conditione mihi ipsi diffidere aliquando, ac vereri, ne in extrema senectuti aliae mihi sedes quaerendae sint, et novum vitae genus instituendum. His curis turbatus animus inertia quadam languebat adeo sui oblitus, ut quandoque etiam in litteris materni sermonis mihi minime suppeterent verba. Sed ago gratias ruri in quo legendo quotidie aliquid dignum viro, coepi abigere ex mente molestias omnes, et quieto animo cogitare multiplices fortunae lusus, quae nihil stabile aut diuturnum sinit esse in muneribus suis, quo magis admoneor, ut vertam cogitationes meas ad studia litterarum, quod unicum remedium sapientes esse volunt ad effugiendas vitae molestias, et ad degendam cum quietè aetatem. Sed tamen vellem alia ratione quam sapientum praeçeptis consulere quieti meae, memor Horatii sententiae, qui ait . . . . magnum pauperies malum, jubet quidvis et facere et pati; et licet Philosophi paupertatem aequo animo ferendam putent, quidam etiam laudent, mallem tamen alios, quam me in ea laude versari. Durissimum quippe est egere, ei praesertim, cui pro multorum vita sit cogitandum.

EPISTOLA IV.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali ***Firmano.***

Non negligentia, aut oblivione scribo ad te rarius, quam tua ferat erga me benivolentia, reverendissime pater, sed rerum inopia, cum nihil occurrat, quod litteris committi possit. Cum vero Dieciajutus ad Curiam rediret, veritus ne mea taciturnitas secum ferat oblivionem mei, volui litteras meas potius inanes esse quam nullas. Ego, pater reverendissime, vivo in praediolo meo, ad quod decessi cum familia pestis vitandae gratia, ubi quotidie aliquid temporis aut legendi, aut scribendi curae impertior, reliquum aut deambulationibus, aut in rei rusticae cultu consumo, aut domesticae rei cura, quae vita jucundissima est, et procul a strepitu urbis inquietae, in qua nihil proprium cujusquam esse videtur. Versor autem cum libris meis, qui ad honestatem hortantur, et minuunt superfluas cupiditates. Verum in hac solitudine persaepe subrepit praeteritorum temporum cogitatio, et quam suavis fuerit Curiae jucunditas procul a nostris molestiis occurrit, inque ea cogitatione saepius acquiesco recensens et amicos benivolos, quorum mihi consuetudo erat jucundissima, adeoque praeteritae quandoque vitae desiderio incendor, ut si alia temporum conditio foret, forsan reverterer ad eam matrem, quae me diutius cum honore aluit et dignitate. Te autem rogo, ut con-

serves memoriam Poggi tui, neque, licet absens sim, sinas ex animo tuo diffluere eam benivolentiam, quam nullo meo merito, sed tua benignitate semper erga me habuisti. Recommendo me tibi, quem sospitem conservet Altissimus.

EPISTOLA V.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Columnensi.

Suppuderet paulum, pater et domine mi reverendissime, propter summam tuam in me benivolentiam, tamdiu tacuisse tecum, si id mea non temporum culpa accidisset: sunt enim praesentes res ejusmodi, ut obliviscendae potius, quam recensendae videantur. De me autem non est, quod scribi necesse sit; acquiesco enim temporibus, quibus nos parere sapientes volunt, et cum animi quiete vivo ruri procul ab omni mala cupiditate; reliqui enim urbem, et rus cum familia me contuli aeris mutandi gratia; ubi quotidie loquor cum mortuis, qui me erudiunt ad praecepta virtutis, et in solitudine non patiuntur me esse solum, legentem aliquid in dies aut scribentem, quod iter mihi ad laudem comparet. Refero tamen cogitationes saepius ad suavitatem Curiae, in qua consenui, et ejus vitae jucunditatem mente revolvens, eam omnibus aliis antepono, poenitetque aliquando me paruisse eorum consiliis, qui me a Curia suis exortationibus avocarunt, sed filii unius charitas, quem in patriam collocare volebam, me

impulit, vel invitum, ad vitae consuetudinem immutandam; at ille religionem ingressus reddidit inanes meas cogitationes meliorem secutus vitam. Itaque si temporum conditio pateretur, forsitan ad pristinam regrederer vitam, non lucri cupiditate, sed animi quietis gratia, quam difficillimum est in turbulentissima civitate, in qua nulla stabilis sedes, cum parum publica servetur fides, bono cuiquam esse. Haec scripsi paucis, tum colloquendi tecum causa, tum, ne omnino memoriam mei deponas. Vale.

EPISTOLA VI.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Sancti Marci.

Vereor, Pater et domine mi reverendissime, ne meam ignaviam merito reprehendere possitis, qui nihil ad vos scripserim post recessum meum. quod non oblivione aut negligentia factum est, sed quia nulla res accidit, quae scribendi causam praeberet, neque vero nunc quicquam emersit novi, quod epistolam flagitaret, praeter pudorem quemdam, qui me vetat amplius vobiscum silere, mavultque meum fateri erratum, quam persistere in taciturnitate. Nihil est tamen quod iis litteris a vobis petam, praeter conservationem vestrae erga me benivolentiae, quam scio semper fuisse singularem: nullus tamen unquam notus aliquis a Curia venit, quin diligenter quaesierim de vobis, a quibus cognovi et valitudinem vestram, et

amplitudinem dignitatis. Ego jam tribus mensibus mihi familiaeque diversorium elegi in praediolo meo quatuor miliaribus urbi propinquo, in quo procul ab omni angore morboque animi, remotus liberque, et mei juris, tracto quotidie libellos meos, quibus admodum familiaris sum factus, aut scribens aliquid quod ad laudem spectet, aut legens quod animum efficiat honestiorem. Saepissime tamen mentem revoco ad Curiam, et quemadmodum Epicurus recordationem praeteritarum voluptatum ad voluptatem volebat conferre, ita et mihi summam praebet jucunditatem: non mea voluntas, sed aliorum praeces ab ea matre me abduxerunt, quae me quinquaginta annis amplius cum honore et dignitate nutrivit. Si acta agi possent, alia ratione vitam ageremus. Dixi Dieciajuto, ut verbis intimis me vobis commendaret. Valete.

EPISTOLA VII.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Papiensi.

Cum Dieciajutus ex mea quondam familia esset ad Urbem rediturus, cuperemque aliquid ad te scribere, quod tuam in me benivolentiam ab oblivione vindicaret, nihil sane occurrebat dignum officio litterarum, nisi illud quod tu noscis, me tuum esse penitus, ac summam spem habere in tua erga me charitate. Ita enim tibi persuadeas velim, me exstimare te successorem fore patrui

tui, qui quantum me dilexit, quae illius merita in me fuerunt, et ipse scio, et plurimi sunt ejus benivolentiae erga me testes, cujus rei te quoque conscium esse puto: non autem illum defunctum esse arbitrabor, dum tu nobis eris superstes, imago optimorum illius morum, et virtutis ac laudis imitator. Rogo te igitur atque oro per patrui tui memoriam, ut sicut illi in omnium virtutum genere successisti, ita et amoris etiam, quem ad me gessit, te haereditatem adiisse putes: non pecuniam a te postulo, non dignitatem novam, non opes, non magistratus; sed benivolentiam et affectionem, ut sciam repositum esse mihi tanquam refugium, quod et honori et oemolumento, si opus fuerit, esse possit. Haec scripsi fidentius, quoniam Antonius Pistoriensis, qui paulo ante a Curia rediit, cum Florentiam ivissem, mihi retulit te ei mandasse, ut me verbis tuis salutaret; quod mihi fuit gratissimum consideranti optimum signum id fuisse non obliterati amoris erga me tui. Ego ruri habito cum familia relicta urbe pestis metu; sunt mecum libri complures, quorum doctrina utor libenter, ut vel in extrema aetate aliquid incipiam sapere: tollit certe eorum lectio curas et molestias omnes, quae plurimae Florentiae intra inquieta viventes circumsistunt: sed jam satis cupido loquendi tecum me longiorem fecit, utinam coram verbis uti possem! nam id maxime efficeret jucundiorem vitam. Vale, et, ut facis, ama.

EPISTOLA VIII.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Zamorensi.

Vellem, pater, et domine mi reverendissime, daretur mihi occasio saepius ad te scribendi. Nihil est enim quod agerem libentius, quam absens litteris loqui cum eo, a quo summa affectione me diligi saepissime perspexissem. semper enim erga me ostendisti singularem benevolentiam, quam propter dignitatem tuis meritis consecutam, non diminutam, sed auctam esse confido: sed rariores meas litteras effecit inopia rerum, de quibus scribi possit. Nihil enim datur, nihil occurrit scriptione dignum, inanes vero litteras fundere, aut stulti, aut parum prudentis esse videtur. Versatur tamen saepissime memoria tui in mente mea, quae quotidie priorem requirit vitam, et cogitationes suas ad Curiam refert saepius, adeoque aliquando desiderium quoddam visitandi dominos et amicos meos me commovet, ut si alia forent tempora regrederer ad eam matrem, quae me diutius aluit, quam ulla parens filium; non quidem lucri causa, sed quietis. Ego dudum pestis metu relicta urbe me rus quatuor millibus passuum propinquum urbi cum familia contuli, ubi do operam litteris legens aut scribens arbitratu meo absque interpellatore; vivo autem procul ab omni superflua cura, vacans bonae menti, qui est studiorum fructus uberrimus. Haec scripsi, cum Dieciajutus

recessum se mihi denunciasset, quem nolui absque meis litteris ad Curiam venire, quem tibi commendo. Vale.

EPISTOLA IX.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Andegaviensi.

Nolo mireris, pater et domine mi singularissime, si rarius ad te quam deberem scribo: nihil enim occurrit, quod meas litteras requirat, ad talem praesertim dominum, ad quem nihil nisi grave et lectione dignum debeat conferri. Sed quoniam amicitia et benivolentia videntur consenescere, nisi mutua consuetudine, aut litterarum officio alantur, perspectum quanquam mihi sit multis in rebus me a te amari, nolo committere ut mea culpa, aut scribendi negligentia amor vertatur in oblivionem. Nam posteaquam, quod maxime cuperem, te videndi, et colloquendi adempta est facultas, id quod reliquum efficiam, ut aliquando obstreperem auribus tuis, quas licet majorum rerum gravitate occupatas esse sciam, non erit tamen tibi molestum aliquando audire leviuscula. Dicitur summa te auctoritate atque honore penes Pontificem esse, quod est mihi gratissimum: scio enim ad quem confugere debeam, si quid opus mihi erit Pontificis gratia. Ego ruri ad praesens habito cum familia propter pestis suspitionem ubi vacuus curis gravioribus aco libris meis, et cum mortuis loquor, qui

absque fastidio me audiunt admonentque ad curam vitae melioris. Vale, et conserva memoriam mei.

EPISTOLA X

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Senensi.

Cum cuperem aliquod epistolae argumentum, pater et domine mi reverendissime, nihil sane occurrebat, quod aut mea scribere, aut tua scire maxime interesset: et tamen cum scribere cupiam, recurram ad illud, quod te ipsum credere arbitror, me penitus tuum esse, tibique satisfaciendi cupidum, si qua in re mea, tibi cura, studio, opera, diligentia opus esset: quamvis haec mea pollicitatio inanis esse videatur, cum rure habitem ubi me mihi vix videor satisfacere posse, ne dum aliis meam operam polliceri. Recessi enim jamdudum cum familia ab urbe declinandi morbi causa, ubi suffultus libris, inter hos rusticos aliquid mihi sapere videor; legens tamen saepius mitigo solitudinem, quae hoc tempore videtur esse salubris, sed legendo assequor, ut minime videar solus, sed in . . . . sanctissimorum virorum coetu, quorum vocibus melior fio, et ab inani appetitu remotior. Verum quod in primis scribi oportuit, postremum erit. Ago tibi gratias quantas possum maximas pro litteris, quibus meae epistolae tam eleganter, tam humaniter, tam amice respondisti, atque adeo suaviter ac bene-

vole, ut ne filio quidem aliquis tanta charitate ac benivolentia scribere potuisset. Haec scripsi paucis tecum loquendi materiam quaerens, ne forte mea taciturnitate tuae antiquae erga me benivolentiae obliviscaris. Vale diu, ac felix, et me, ut soles, ama. Rure prope urbem milliaribus quatuor.

EPISTOLA XI.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Senensi.

Nimis magna est profecto humanitas tua, pater mi reverendissime, qui ad meas litteras rescribas tam diligenter, tantaque charitate, ut nihil benevolentius excogitari queat. Sunt certe studia humanitatis meo judicio caeteris doctrinarum facultatibus praeferenda, ut quae homines ad decus, probitatem, honestatem, liberalitatem informent. Instruunt sane nos iis praeceptis, quae ad bonos mores spectare videantur. In primis admonent nos esse homines, quos sola virtus efficiat clariores; docent abjiciendam esse superbiam, fastum, ostentationem, jactantiam, elationem, humanitate parem caeteris esse debere, virtute superiorem; reddunt nos certe benignitate, beneficentia, et liberalitate praeditos. Non sinunt efferri nos fastu, insolentia, et aliorum contemptu. Neque fastidio habere infra nos constitutos. Quae autem dari auferrique possunt, non magni suadent esse pen-

denda. Haec maxime praestat ea doctrina, a qua omnis humanitas, et bene vivendi ratio progressa est. Eam certe moralem philosophiam appellare possimus, a qua singularum virtutum norma exercitiumque descendit. His tam praeclaris studiis cum semper deditus fueris, inque eis continuo ab ipsa adolescentia versatus, nequaquam mirum est te institutis illius obtemperantem, humanitatis et benevolentiae legem servare, ut quamvis sis in dignitate maxima omnium constitutus, tamen plus apud te valeat amici memoria et benevolentia, quam dignitatis splendor, qui et ipse virtute plusquam reliquis rebus illustrari solet. Recognovi in tuis ad me litteris priorem tuam erga me praecipuam benevolentiam, qua nihil mihi potest esse jucundius. Uteris certe mecum iis rebus ea significatione benivolentiae, quibus ne parens quidem cum unico filio majori cum affectione quantumvis eloquens uteretur. Conserva igitur, obsecro, hanc tuam erga me voluntatem; forsan tempus veniet, ut opto, quo mihi satis abunde possis facere. Haec scripsi receptis tuis litteris rure otiosus non philosophandi gratia, sed quaerens scribendi materiam, quae neminem possit offendere. Nam si de rebus praesentibus vellem scribere, longa tragoedia esset conficienda, tot in dies ubique occurrunt, ut sileam de muliebri triumpho, quae tum fletum, tum risum populo moverent. Ego rusticus quidam evasi intentus agricolturae procul ab insano populi strepitu, quem, ubi tamen velim, nolim, cum propter urbis propinquitatem

etiam quae displicent saepius deferantur, audire compellor. Valeas opto, et te nobis incolumem conserva.

EPISTOLA XII.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Papiensi.

Quae res mihi respondendi suavissimis tuis atque humanissimis litteris, reverendissime pater, facultatem praebere debuit, id est otium vitae ruralis procul a strepitu urbis repositae, eadem obtulit oblivionem; ita enim tum cultu rustico delector, tum vaco litteris, et scribendi curae, ut quandoque mei ipsius videar oblivisci. Redditae mihi fuerunt nuper, cum Florentiam me contulissem, litterae tuae, ea erga me benevolentiae et summi amoris significatione, ut magnum fructum mearum litterarum videar reportasse, siquidem cumulatissime mihi in omni re officium animi polliceris. Ago tibi gratias quas possum pro tua hac propensa in me voluntate, quae est mihi ita grata, ita cara, ut nihil optabilius esse possit. Non rescribo ad multa, quae de jure nostrae amicitiae ornatissime scribis; jam enim non verbis, sed memori mente officioque opus est, ut si quando aliqua intercapedine desit litterarum usus, tamen tuus in me amor minime obsolescat. Narras in calce epistolae vidisse te litteras quas scripseram ad praeclarissimum, atque omni laude ornatissimum patrem Cardinalem Senensem, et item

suam responsionem: ad eam ego rescripsi paucis, ideo cum tempus vacuum curis te offeret, videas quoque, oro, quas denuo ad eum scripsi, antequam tuae ad me litterae allatae fuissent. Opto ut valeas, meque, ut coepisti, ames. Ex rure XIII. die Januarii.

EPISTOLA XIII.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali de Columna.

Non posset satis explicari verbis, reverendissime pater, quanta consolatione me affecerunt litterae, quibus ad meam epistolam singulari cum benevolentia rescribis. Admones enim me ut amicum decet, et humaniter paulum arguis, quod videar velle ex hac quieta et honesta vivendi ratione ad accensos, ut appellas, vortices Curiae redire. Ago tibi gratias quas possum, quod virum tibi deditissimum optimis monitis hortaris ad eam vitam, quam ego mihi maxime degendam elegi: sed patere quaeso tua solita humanitate me liberius ad te scribere, prout loqui consuevi. Non recte videris, pace tua dixerim pater optime, in ea parte litterarum quid sentiam sentire. Non sum sapiens ille stoicorum, qui nullo amore, nulla affectione, nulla re adversa moveatur; non sum truncus aut stipes, cui nullus sensus insit, nulla rerum praesentium perturbatio, nullus futurarum metus; educatus sum ab adolescentia in Romana Curia, in qua tum Epicuri, tum Peripateticorum

disciplina in usu esse consuevit, quorum alter in voluptate, alteri etiam in rebus externis summum bonum collocaverunt; quae opinio a pluribus comprobata est, ut quae sit accomodatior ad mortalium vitam. Nolo admireris, si moveor aliquando desiderio Curiae, quae me quinquaginta annos cum honore et laude nutrivit, in qua plurimos mihi amicos, qui me unice diligunt, compararim. Antiquiores illi ex priori nostra Academia, quibus cum magno usu et vitae jucunditate conjunctus eram, me omnes in alium, ut dicitur, orbem praecessere. Comparare autem in extremo vitae, inter diversos mores et studia novas amicitias, non solum difficile, sed impossibile videtur esse. Ego animi quietem appeto et perquiro, quae in hac mobili civitate nequaquam inveniri potest. non mea sed temporum, ne dicam hominum, perversitate, cujus gratia rus secessi ut mihi otium cum quiete hoc tempore compararem. Molestant enim et perturbant mentem tributa, quae per injuriam auferuntur, quibus ita gravor persaepe, ut cogitationem subeam quandoque ad alia commigrandi loca, in quibus absque ea molestia quod superest temporis transigere queam. Itaque si mentem saepius ad pristinam vivendi consuetudinem, et jucunditatem refero, non sum culpandus: reliqui enim animi quietem in qua versabar, et me contuli in turbulentissimam curarum sentinam. Neque vero id etiam reprehendi potest quod scripsi; si alia esset temporum conditio, me forsan ad Curiam reversurum. Id non asserui, sed addidi

forsan, etsi melior esset conditio temporum, a quibus consilia sunt sumenda. Nunc enim nedum cupio videre Curiam, sed procul ab ea fugerem, si adessem. Si enim absens discrutior, cum audio, si vera feruntur, quae apud vos sunt, quid futurum censes, si viderem mores et statum Curiae? non sum ita demens, ut appeterem ea inspicere, quae mihi summe improbanda viderentur. Quod vero scripsi poenitere me illorum paruisse voluntati, qui me a Curia avocarunt, nequaquam consilia culpo, quae a bono animo proficiscebantur. Suaserunt enim illi, et idem ego fore sperabam, quod in meam rem futurum esse arbitrarentur: sed tempora iniqua bonis artibus cogunt ut querar me non recte in relinquenda Curia sensisse; et ut de bobus fertur, cum opinarer me pastum proficisci, subii durissimum arandi onus. Haec scripsi pluribus tecum colloquendi gratia, et quia scio me unice a te diligi, tum ut videas me non esse animo mobili, sed constanti. Ego ut in quiete vivam, quoad ferant tempora, vaco litteris, secutus Senecae consilium, qui ad fugiendas hujus vitae molestias optimum consilium esse dixit, se conferre ad studia litterarum. Vale, et me, ut soles, ama.

EPISTOLA XIV.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Firmano.

Negligentem me in respondendo tuis litteris, reverendissime pater, suavissimae ficus a te missae ab ignavia excitarunt. Etenim quotidie memoriam tui refricant, neque patiuntur taceri a me tuam solitam humanitatem. Itaque tum humanitati tuae, tum munificentiae quas possum gratias ago. Significaveras antea mihi epistola quadam te partem fructuum Ecclesiae cum venissent ad me missurum. Intellexi statim ficus esse venturas cito cum Dieciajutus ad me venisset; dixi te optimum promissorum observatorem, et in diem munera augere; solito enim copiosiores advenere. Credo ut diutius in tui memoria versarer, quod ut assequar, partem earum ad rosas reservabo. Quamvis autem propter tuam exquisitam quamdam erga me benevolentiam, et multiplicia tua in me merita semper te recenti memoria complectar; tamen singulis ferme diebus, utor enim illis frequentius, in animo versaris, et te veluti praesentem intueor absens, multaque mihi spondeo, quae tempus forsan secum feret. Retulerat tibi Dieciajutus, ut mihi narravit, me cupidum videndae Curiae, quod tibi admodum placere dixit, ob eamque rem obtulisse ei domum, in qua diverterer ad pensionem: grata fuit mihi oblatio a tam liberali animo profecta, gratior tua propensior in me fovendo

voluntas, gratissima tanti beneficii spes, ubi praesertim nullum meum meritum intercessit, nullaque, praeterquam amoris et officii, ratio haberi potest. Debeo tibi eas gratias, quas utinam aliquando detur aliqua ex parte reddendi facultas. Efficiam profecto, ut intelligas me saltem grato animo tuis in me meritis respondere. Ego tua auctoritate confirmatus tecum deinceps ut cum unico loquar litteris: si qui me, aut insulsum putabunt, aut parum verecundum, ego eorum inscitiam ridebo, plurisque tuam opinionem faciam, quam deliramenta caeterorum. Vale, et me ut soles ama.

EPISTOLA XV.

Poggius pl. sal. dicit Laurentio Pisauriensi.

Non respondi tuis litteris nuper cum essem Florentiae, vir doctissime, propter molestias animi, in quibus, ut scis, versabar propter uxoris infirmitatem. Postquam rus veni relegi eas diligentius, mihique admodum placuerunt, cum sint summa cum benivolentia scriptae, et amoris plenae erga me tui. Ego, mi Laurenti, plurimi facio me a multis diligi, et ab iis praesertim, qui propter suam virtutem et doctrinam, quorum in numero tu es, diligi merentur. Est enim ea vera ac stabilis amicitia, quam conjungit eorumdem morum et studiorum similitudo. Itaque cum sis vir eloquentia et doctrina praeditus, cumque me a te

amari intelligam, ingratus nimium ac reprobus essem, nisi pari, aut majori si fieri possit, benevolentia erga te essem. Vellem in me essent quae opinaris, sed quicquid sum, id scias tuum esse totum; agam profecto, ut in amicitiae officio nequaquam ulla re tibi videar cessisse. Vale, et me ut coepisti ama. Haec scripsi paucis, ut mihi gratam esse tuam amicitiam cognoscas.

EPISTOLA XVI.

Poggius pl. sal. dicit Galeotto Astorgu Filio Manfredo.

Nuper cum essem Florentiae vir doctus quidam obtulit mihi legendas laudationes quasdam in matrimoniis celebrandis, quas cum legissem judicavi ab optimis ingeniis et viris eloquentibus profectas. Sed tamen jejuniores, ut mihi visum est, quam rei dignitas postularet. Itaque cum ruri essem, venit in mentem a me saepius amicos postulasse, ut aliquid scriberem de conjugii dignitate. Volui et ipse experiri, an aliquid possem in matrimonio laudando. Scripsi igitur oratiunculam, in qua complexus sum ejus laudes forsan verbosius; quam necesse fuit. Sed tamen non videbatur tantae rei majestas paucis verbis contenta esse: nam aut me animus fallit, aut matrimonium pro ejus utilitate atque dignitate nequit satis laudari. Eam Oratiunculam ad te mitto, primum ut eam legas, cum tempus et otium

nactus eris, deinde ut si res tibi digna videbitur, possis aut tu, aut qui volent sumere ex ea, quae in suam causam videbuntur. Scio te tamen ea doctrina et eloquentia praeditum, et ab eo praeceptore institutum, ut in quoquam laudando, vel commendando nequaquam sit tibi opus opitulatione mea, cum tu ipse ex tua supellectili majora quaedam et ornatiora possis promere. Orationem vero non ideo ad te mitto, ut plurimi aestimanda sit, sed ut esset quoddam tanquam argumentum aliquid ad te scribendi. Ego me ruri plures jam menses contineo cum familia, otioque non ignavo utor, legendo aut scribendo tempus terens. Vale, et mei memor.

EPISTOLA XVII.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco.

Nuper cum ivissem Florentiam datae mihi sunt tuae litterae paucis verbis scriptae, quibus miraris non esse a me responsum iis litteris, quas antea ad me dedisses. Ego antea quam me rus cum familia contulissem, respondi ad tuas litteras diligenter, praesertim de filii religione, easque misi ad mensam, per quam tibi meae litterae reddi solent. Ultimis autem tuis litteris non respondi cum essem Florentiae, quia et parum temporis ibi fui et pluribus occupatus rebus: veni postmodum rus urbi propinquum milliaribus quatuor, ubi domum pro diversorio aedificavi

Locus est amoenus et puri aeris, lego quotidie, aut scribo aliquid, sed nihil quod sit in promptu. Scribas ad me oro, si Galeottus Astorgii filius Faventinus est Ferrariae. Scripsi enim oratiunculam in laudem matrimonii, quam mittere volo ad eum legendam. Nam cum audissem multos de ea re orationes scripsisse, quarum nonnullas legere volui, et ego quoque experiri an aliquid in eo genere possem; et si ea penes me esset, nam pridem eam Florentiae reliqui, facerem te participem hujus meae exercitationis. Vale, et domino Episcopo me intimis verbis commenda. Guarinum, et coeteros qui docti sunt verbis meis saluta.

EPISTOLA XVIII.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco.

Rure accepi a te litteras nudiustertius, quae eo mihi gratiores fuerunt, quo majori quam antea utor solitudine. Nulla enim re alia illam sustento, quam litteris, quibus me totum tradidi, ita ut nequaquam videar esse solus. Esset haec vita proxima felicitati, si vestrae civitatis mores paterentur. Sed in dies suspensus vivo incertus futuri status propter varias rerum mutationes: confido tamen in ejus ope, qui non deserit in se sperantes. Oratiunculam, de qua ad te scripsi, mitto ad te cum litteris, quas ad Galeottum scribo. Cura ut ei litterae cum oratione reddantur; lege

tamen eam prius, et si res tibi digna videbitur excribi facias, communicesque cum Episcopo, et Archiepiscopo, quem suspicor esse Ravennatem, virum optimum et amantissimum mei; is si est Ferrariae, facies me oro certiorem, nam aliquid ad eum scribam. Existimabam illum esse in Curia aut in aliquo officio ex Pontificis opera, cui talibus viris opus esset. Commenda me illi te oro, et scribe ubinam sit Episcopus Mutinensis, et an audias eum ad Curiam rediturum. Saluta Guarinum nostrum virum optimum, ac mihi amicissimum, quem ego beatum censeo, tum propter suam virtutem, tum qui sibi domicilium elegit in patria quietissima, et promissa servant ut sit et praesentium, et futurarum rerum securus. Vale, et me ama.

EPISTOLA XIX.

Poggius pl. sal. dicit Alberto Parisio.

Non fuit opus excusatione, cum mecum silueris diutius, quam tua in me observantia requirat, quoniam nihil negotii inter nos est praeter mutuam benevolentiam, quod officium litterarum requirere videatur. Scito tuas litteras mihi fuisse jucundissimas, ut quae scribantur ab eo, quem ego propter suam humanitatem, et facultatem dicendi (quod plurimi faciendum est) tum quia me colit ac celebrat, in primis habeo carissimum. Ad tuas autem litteras rescripsi tardius quam mea

fert consuetudo, quia rure mihi redditae fuerunt. Neque post ad hanc usque diem nisi bis sum Florentiam profectus. In primis visitavi Gregorium tuum, quem mihi unice commendas. Vir est profecto perhumanus ac dignus qui ametur ex corde. Ei nihil potui polliceri propter benivolentiam, qua illum praecipue sum complexus. Obtuli me tamen totum illi, quamvis id parvi sit aestimandum. Cum redibo ad Urbem, videbo eum frequentius, et si qua in re erit ei opus, studio et diligentia mea efficiam, ut intelligas nihil mihi fuisse antiquius quam dare operam, ut, quocumque modo possem, Gregorium existimes non minus meum quam tuum esse. Vale.

EPISTOLA XX.

Poggius pl. sal. dicit Angelo Andreoli filio Justiniano.

Audieram jamdudum a quodam, qui a Chio venerat, quondam optimum ac praestantissimum virum mihique amicissimum Andreolum patrem tuum ex hac vita ad Deum migrasse, quod mihi sane, prout debuit, molestissimum fuit. Amisi enim virum primarium meique amantissimum, cum ego propter ejus virtutes et doctrinam ut parentem venerabar. Et quamvis eum nunquam viderim, tamen tanti fuit, ut etiam ab ignotis coli et diligi mereretur. Multa praeterea mutua inter nos officiosa extitere, quae animos amicitiae

vinculo conciliarent. Sed placuit Altissimo ipsum a tempestate hujus saeculi ad quietiorem vitam vocare. Moerorem, quem ejus morte suscepi paulum levat, quod reliquit filium suae virtutis et probitatis imitatorem, et qui paternam amicitiam cupiat conservare, qua re nil mihi gratius esse potuisset, quam te velle vestigia paterna imitari, tum in omni probitate, tum maxime in conservanda amicitia, quam ipse suis meritis comparavit. Ego autem te hortor, ut te talem in vita et moribus praestes, ut dignum paterno nomine videaris; et sicut haereditatem fortunarum suarum adeptus es, ita et virtutum successor appellari queas. Ego quippe te loco filii habeo, quamvis nil tibi praebere possum, praeter animum promptum ad obsequendum tibi, si qua in re opera mea tibi opus foret. Quod autem de Dionysio Halicarnasseo scribis, est mihi gratissimum parentem tuum adeo mei fuisse memorem, ut etiam in extremo vitae de me cogitarit. Itaque te rogo ut librum ad aliquem ex amicis facias deferri, qui illum vel mittat Florentiam, vel reddat ei, cui commisero libri mittendi curam, meque per tuas litteras facias certiorem, cui librum sis missurus, vel potius miseris, nam statim curabo illum ad me perferendum. Vale, et optimam foeminam matrem tuam, si est superstes, verbis uxoris meae saluta, tibique persuade me tuum esse. Florentiae.

EPISTOLA XXI.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Firmano.

Secutus priscorum eloquentium virorum morem, quorum acta, quantum datur, imitari cupio, scripsi ad te saepius, pater mi reverendissime, singulari numero tanquam ad unum dumtaxat, recte an perperam aliorum judicio et tuo praesertim acquiescerem, ad quem do litteras obsequendi voluntati tuae, meaeque in te affectioni satisfaciendi gratia. Veritus tamen ne is scribendi modus te offendat, propter improbandam consuetudinem, quod a fastu, adulatione, ignorantia originem duxit, et apud inscios litterarum maxime inolevit, velim, ut mecum domestice, ut soles, loquens, me commonefacias hoc ne an, quem coeteri sequuntur, modo sim ad te scripturus. Obsequar enim voluntati tuae. Ego autem ita assuetus sum singulari numero litteras scribere ad omnes, ut etiam, cum aliis pari tibi gradu scribo, labar persaepe deflectens a plurali ad numerum singularem, quod non fit arrogantia, aut ut videar plus caeteris velle sapere, sed quia et ita consuevi semper, et mihi videtur rectior scribendi modus, in eam partem declino, quae mihi apud doctos probabilior videatur. Nimis profecto alienum a ratione videtur velle hominem se plurali numero vocari, cum Deum ipsum unico tantum nomine appellemus. Mallem tamen errare,

quam laborem suscipere, qui mihi tuam aut cujusvis alterius simultatem, aut malevolentiam compararet. Vetant sapientes aliquid nos agere, quod an sit honestum dubitemus. In ipsa enim dubitatione inesse volunt suspicionem culpae. Hic ego non quid honestum sit quaero, sed quid expediat mihi. Non sum cum caeteris ita amator antiquitatis, ut velim ob hoc dubium subire, obsequor enim eorum moribus et doctrinae; tecum vero, quem scio esse doctissimum et deditum studiis humanitatis, loquor liberius, et cum illis etiam, quos novi bonarum artium studiis deditos. Haec tecum paucis velim scripsisse, ut intelligas me tui memorem esse, et ut eliciam tanquam a prudentissimo viro sententiam tuam. Commendo me tibi. Ex rure IV. Kal. Decembris.

EPISTOLA XXII.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Rothomagensi.

Reverendissime in Christo pater, et domine mei amantissime, non scribo ad te, prout cupio, quoniam nihil est neque in publicis, neque in privatis rebus, quod requirat officium scribendi. Taciturnitas autem generat oblivionem benevolentiae, quae indiget aut litteris, aut verbis, quo valeat sustentari: praeterea odiosum est, et periculosum verum scribere, et tam multa fiunt, aut dicuntur, ut difficile sit non aliquando litteris cum absentibus colloqui, et queri de temporum injuria.

quae sola impune culpari possint. Ea vero natura mea est, ut cum calamum coepi, difficulter obstem, quin ex animo proferantur, quae caderent in alicujus offensionem. Esset rectius consilium, sicut Democritus solebat, ridere stultitias hominum, quae et fuerunt semper, et sunt infinitae. Sed ea conditio est rerum et temporum, quae potius commiserationem, quam risum requirat. Audio magno parari in urbe conatu classem, majori pecunias video quaeri contra hostes Fidei Teucros, qui et ipsi novam classem parasse dicuntur. Audio naves, quae adversus eos in mare jam sunt ingressae, vertisse operam eorum in Christianos, quos spoliant, et rapiunt hostilem in modum; attamen haec Deus viderit, quem existimo provisurum conservationi fidei suae, quoniam in hominibus parum spei est, ita sunt omnes trepidi ad subsidium ferendum. Si auderem loqui, compellerem te ad risum. Haec scripsi, ut aliquid, licet stulte scriberem, potius quam tacerem; tu parces verbositati meae. Valere te opto, et memorem mei. Vellem esse in eo statu, in quo invitarer ad visitandam Curiam, et te videndum, quamvis nescio jam quid optem, ita mutabiles sunt hominum mores; tamen hoc etiam vellem experiri, antequam abeam a vita. Florentiae.

EPISTOLA XXIII

Poggius pl. sal. dicit Domino Pallae de Strozzis.

Cum conditio temporum, tum quia nihil accidit, quo mihi tua opera opus esset, non scripsi ad te hactenus, quamvis tui memoria, ut hominis praestantissimi, mihi semper infixa animo haereret: nunc cum tuo consilio egeam, decrevi, tua in me pristina confisus benevolentia, paulum tibi oneris imponere, quod confido aequo animo te suscepturum. Est mihi filius clericus, et octo annorum, quem cupio erudiri iis artibus, in quibus non quaestuaria sed liberalis et certa doctrina versatur. Et quoniam philosophia est dux et auriga scientiarum omnium, decrevi ut ipsi operam daret, ut postea sit iter ad Theologiam. Audivi autem Patavii summos esse in ea facultate viros. Idcirco decrevi quamprimum mittere filium ad id studium, ut possit evadere doctus in ea scientia, quae mihi videtur esse praestantissima, et tanquam intellectus lumen. Ob hanc causam praemitto capellanum suum Nicolaum natione Germanum, qui jam triennio mecum fuit, ut quaerat aliquam mansionem honestam, in qua nulla ei praeter studiorum sit cura suscipienda. Te igitur per tuas virtutes rogo atque obsecro, ut velis consulere huic Nicolao prout opus fuerit, et alicui ex tuis committere, ut investiget aliquod receptaculum honestum propter aetatem adolescentis, quae

tenera est et lubrica, nec calcaribus indiget, sed froeno. Scio hanc rem parvam esse, et tanto viro indignam, sed parces importunitati meae, praesertim pro filio roganti. Et ne sim molestior, aut longior in scribendo, commisi Nicolao, ut de hujuscemodi re tecum loquatur uberius. Tu fac quaeso, ut hoc onus, quod tibi impono, tanti facias, quanti paterna charitas requirit. Vale felix.

EPISTOLA XXIV.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco.

Nudiustertius recepi a te litteras, quibus intellexi satisfecisse te optime desiderio meo. Scribis enim te domum filio comparasse viri doctissimi atque integerrimi Magistrati Sozini Senensis, quod mihi gratissimum, cum nullo in loco melius collocari potuerit. Ea namque mansio tutior erit teneris annis, quanquam reliqui quoque nequaquam sint contemnendi. Novi enim hominem, scio virum bonum esse et abhorrentem vitia, paternae virtutis imitatorem; scio domum suam honestatis diversorium esse, quae res admodum prosunt adolescentium educationi. Licet enim filius paterna institutus sit disciplina, et bonis moribus quantum aetas patitur imbutus, tutissimum tamen est cum iis vitam ducere, a quibus nihil nisi honestum prodire possit. Te igitur rogo, ut Sozino meo nomine gratias agas, cui ego quoque, cum filius venerit, scribam; id cito fieret, nisi mater

valitudinaria cuperet illum epulari secum in Paschate. Scribam quoque aliis, de quibus tibi videtur, quamvis praecipue in te sita spes mea sit, quem scio nihil omissurum eorum, quae spectent ad filii eruditionem. Est mihi dubitatio quibusnam vestibus exterioribus sit ei utendum: ideo quamprimum ad me scribas oro, an ipsum oporteat staturam ut appellant per urbem ferre, uti laici solent, an ut clerici apud nos clamidem oblongam gestare, ut veste idonea provideri possit, in quo quid agendum sit mihi consulas velim, ne implicer supervacua impensa. Vale, et rescribe quamprimum. Florentiae die XI Martii.

EPISTOLA XXV.

Poggius pl. sal. dicit Sozino Senensi.

Cum maxime optarem mittere Ferrariam filium adolescentem ad perdiscendam philosophiae doctrinam, rogavi venerabilem virum Franciscum Marescalcum Canonicum Ferrariensem, ut aliqua in domo honesta eum collocaret, in qua una cum doctrina hauriret etiam vitae disciplinam. At is nuper rescripsit te pro tua humanitate, et summa erga me benevolentia, quamvis id tibi propter familiam domesticam incommodum esset ac difficile, tamen recipiendi eum domi amore mei velle te laborem omnem perferre. Id fuit mihi adeo gratum, ut nil mihi gratius esse posset: non enim alium locum accomodatiorem poterat

invenire, neque patronum utiliorem ac probiorem sortiri, neque in quo animus meus aeque acquiesceret. Nactus est hominem, quo cum mihi benevolentia summa est jam a paterna amicitia contracta. Ago igitur tibi gratias quas possum; utinam referendi daretur facultas; ostenderem profecto hoc tuum beneficium apud hominem gratum te collocasse. Mitto igitur ad te eum, quem in tuum recipias oro, et in agendis dirigas, consulasque quo maxime modo breviori via ad doctrinam quam cupit perveniat. Sequetur enim consilium tuum; et quamvis adolescens sit procul a vitiis, et domi summa cum cura educatus, tamen scis eam aetatem lubricam ac mobilem natura egere monitoribus. Itaque mores ejus observes rogo, ac aetatis fervorem verbis comprimas, si opus fuerit. Sed stultus ego, qui prudentissimum patrem familias instruere meis monitis velim; filii charitas me loquatiorem fecit. Vale, et in erudiendo, tum moribus, tum doctrina filio, in meum locum succede. Viros praestantissimos fratres tuos, et laetissimam atque probatissimam matrem tuam verbis meis saluta. Florentiae.

EPISTOLA XXVI.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Aretino V. C.

Scribit vir doctissimus Franciscus Marescalcus quanto studio ac diligentia quaesieris diversorium pro filio meo, de qua re ago tibi gratias quas

possum. Ita enim mihi persuaseram propter tuam in me benevolentiam te facturum, sed vicisti tuo officio opinionem meam, ita ut tibi plurimum debeam. Decrevi autem plures ob causas ut sit cum praeclarissimo viro Sozino Senensi. Sed non contentus eo quod egisti, quo plus tibi debeam, amplius a te requiram. Volo filium suscipias in tutelam tuam, eumque horteris ad virtutem, sine qua litterae videntur esse inanes. Et si qua in re, ut fert aetas, aberraret, moneas eum, ut bonis vacet moribus, utque ea vita instituatur, cujus non sit futura, quod in multis contingit, poenitentia. Quanquam ita domi est educatus, ut facillime in officio contineri queat. Vale et filium ut me ames velim. Florentiae.

EPISTOLA XXVII.

Poggius pl. sal. dicit Guarino Veronensi.

Mi Guarine, mitto ad vos filium meum Baptistam Canonicum Florentinum, ut det operam studiis philosophiae. Jussi ut in primis tanquam parentem alterum te visitaret. Scio enim non alio te illum esse habiturum loco, quam si ex te hortus esset. Eum tibi commendo rogans, ut eum amorem, quem ad me semper habuisti, in hunc omnem transfundas. Decreveram antea tertium filium, ut ad te scripseram, erudiendum mittere: sed cum primogenitus, in quo mea successionis spes erat, se dicasset Deo, mutavi

consilium, decrevique, ut ille in primis, quod Florentiae necessarium est, det operam mercaturae, mecumque vivat, ut discat civitatis mores, quamvis potius essent adolescentibus dediscendi. Vale, et hunc ut me ama.

EPISTOLA XXVIII.

Poggius pl. sal. dicit Bonfrancisco Regiensi V. C.

Scribit ad me vir probatissimus Franciscus Marescalcus, te pro tua humanitate obtulisse ei, recipere filium meum apud te domi. Ago ex hoc summas gratias benevolentiae tuae, qui nullis meis ductus meritis, ostendis tantam erga me charitatem, ut filium meum reputas tuum. Video in te non solum philosophiae doctrinam, sed etiam philosophi mores suum diversorium constituisse. Et haec una scientia profecto caeterarum omnium auriga, quae efficit cultores suos bonos viros, et virtuti deditos, cujus praeceptis, cum magistra optima vitae semper fuerit, si homines obtemperarent, bene se haberet mortalium vita. Te autem rogo, ut hunc adolescentem complectaris charitate paterna, et ea quam philosophiae moribus institutus debet praestare. Cupio enim non lascivia scholastica praesentis saeculi, sed probitate vitae, continentia, una cum litterarum studiis erudiri. Itaque eum dirigas oro, et sibi consulas,

prout in te confido, quod sit verum iter et ad doctrinam, et vitae integritatem. Vale, et filium tibi commendo. Florentiae.

EPISTOLA XXIX.

Poggius pl. sal. dicit Francisco Marescalco.

Vereor, ne tibi sim molestus, qui totiens a te de eadem re litteras dem; sed tua humanitas et in me benevolentia mihi permittunt ut tibi paulum sim importunus. Baptista filius ad vos venit, cui praecipue in mandatis dedi, ut in omnibus suis factis, dictis, cogitationibus utatur consilio tuo, quem novi virum optimum ac probatissimum. Dirige igitur illum, et consule qua vita quibusve moribus utendum sit, quive appetendi sint, quive declinandi. Scio enim non posse errare, si sequetur tuas monitiones. Si est opus, ut in hoc introitu domus dentur pecuniae Magistro Sozino, habet litteras, quibus pecuniae solvantur. Vale. Florentiae.

EPISTOLA XXX.

Poggius pl. sal. dicit Archiepiscopo Ravennati.

Scripsit mihi, pater et domine mi reverendissime, vir optimus Franciscus Marescalcus noster, filium meum cum Ferrariam nuper venisset, te

visitasse, eumque a te benigne atque humaniter acceptum, pollicitum quoque te ea liberaliter, si quid sibi tua opera opus esset. Ago tibi gratias, carissime pater, pro tua humanitate, quam erga me hactenus observatam, nunc in filium ostendisti. Quamvis autem sciam te illi sponte tua etiam absque meis praecibus omnia parentis officia praestiturum; tamen te magnopere rogo, atque obsecro, ut eum horteris ad studia Litterarum, et ad bonos mores, sine quibus litterae parum videntur prodesse. Aetas est tenera et lubrica, ut facili momento in utramque partem flecti possit. Sume igitur hunc laborem pro me oro, ut tuis monitis meliorem vitam sequatur, utque optima vitae institutio superet adolescentiae cupiditates. Vale, et filium pro me ama. Florentiae die XX Maii.

EPISTOLA XXXI.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Firmano.

Scio mirari te plurimum, reverendissime pater, quod tecum sileam diutius, quam mea ferat consuetudo. Sed inopia, tum rerum, tum verborum, quae quodam modo exarescunt, me reddidit in scribendo tardiorem. Nescio enim quid scribam, unde hordiar, aut quid narrem. Apud nos nihil est scriptione dignum. Dormitatur enim, et otium per ignaviam transit. A vobis vero nil affertur praeter solitudinem quamdam, et taciturnitatem. Sperabam

Classem Regiam, quae Januam profecta erat aliquam sermonum causam daturam, quae otiosos ad loquendum excitaret; sed ea quoque ut video refrixit. Apud nos multa dicuntur, ut apud vulgus accidit novarum semper rerum cupidum. Haec ego ut nugas contemno, et cum mihi desponderim facilem vivendi curam, feram aequo animo quicquid ambigua fors fuerit allatura. Vale, et me ut soles ama. Florentiae.

EPISTOLA XXXII.

Poggius pl. sal. dicit Cardinali Papiensi.

Miraveris, pater reverendissime, si scires quam mihi verba desint ad scribendum. Hic nos omnia quiete atque otio metimur, ut nihil magis agatur, quam nil agendo tempus terere, quod efficit, ut nullum detur argumentum ad epistolas conscribendas. Inanes esse litteras turpe videtur, esse illis praesertim, de quibus aliqua dicendi facultatis opinio habeatur. Sed satis erit id ipsum nihil dari ad scribendum scribere, quam omnino silentio uti. Ego, mi pater, otio fruor, utinam eo quod praescribitur a sapientibus viris. At si non quantum decet, at saltem, quantum a negotiis conceditur. Dedo me litteris inque eo exercitio versor continuo, in quo quantum proficiam aliorum erit judicium. Mihi certe quietem parit animi ab omni vacui perturbatione. A vobis nil affertur, praeter inertiam Curiae, sed haec temporum conditio

pervasit ferme omnes. Singuli enim queruntur suarum urbium aegritudinem quamdam a qua non videmur posse convalescere. Ludus fortunae est, ut nil sinat in eo statu permanere diutius. Sed ferenda omnis fortuna ferendo est, ut Virgilio placet. Vale, pater mi reverendissime, et Poggii tui memor. Florentiae.

EPISTOLA XXXIII.

Poggius pl. sal. dicit Petro Galezani Filio V. C.

Accepi hodie a te litteras, mi Petre suavissime, summa dicendi copia, et magna cum benevolentiae erga me significatione scriptas; delectatus sum praecipue scribendi elegantia quae in te est in me laudando singularis. Sed vellem hunc laborem a te sumptum fuisse in iis commendandis, qui ejusmodi sunt eloquentia, doctrina et virtute, ut facile meritoque tuis laudibus extolli possint. Ego enim satis vires meas novi, et quibus copiis in aciem descendam, cum quid scribendum est plane intelligo. Scio quid possim ingenio, quid dicendo consequar, quantulae sint opes meae, et quam tenui in patrimonio haereditas imbecillis ingenii versetur. Nescio quid aliis contingat: suo enim quisque nititur judicio, sed nunquam neque verbis, neque scriptis mihi tribui ultra, quam ratio doctrinae tenuis pateretur. Placuit mihi tamen epistola tua scripta eloquentissime, atque

ad exercitationem ingenii accomodata. Ego tuis laudibus, quatenus mihi conveniant, summe delector; nullius enim voces Temistocles ille vir Graecorum princeps eximius audire libentius se aiebat, quam eorum, qui suas laudes enarrarent. Natura nobis insitum est, ut delectemur laudationibus nostris, si tamen eae sint, quae non excedant modum. Tu mihi tantum tribuis, quantum doctissimo homini atque eloquentissimo, a quibus longo intervallo absum, tribui posset. Sed ea ingenii signa sunt, et amoris in me tui. Ego tibi mutuam benevolentiam polliceor. Dabo certe operam, quoad facultas erit, ut hanc amicitiam nequaquam frustra appetisse, atque assecutum fuisse videaris. Ludovicus vero patronus noster vir optimus, quem multa de me narrare in meam commendationem solitum scribis, facit quidem more suo, ac pro ejus in me charitate, at non quantum merear, sed quantum suus amor ei persuadeat de me, et sentiat, et eloquatur. Vale. Florentiae.

FINIS

